



# Illustris Gymnasii Ultrajectini inauguratio : una cum orationibus inauguralibus


<https://hdl.handle.net/1874/10266>

Rariora vnt 366

ST

1

ILLVSTRIS GYMNASII  
VLTRAIECTINI  
INAUGURATIO  
*una cum*  
ORATIONIBVS  
Inauguralibus.



ULTRAIECTI,

---

Ex Officina ABRAHAMI ab HERWIICK &  
HERMANNI RIBBII,  
c d c xxxiv.

M I N E R V A  
U L T R A I E C T I N A  
*ad Hospitem.*

QVI decus Æneadum, qui Graias suspicis artes,  
Ne pigeat sacris, hospes, adesse meis.  
Nam Latium & doctæ quo clarent nomine Athenæ,  
Hoc tibi promittit Palladis una domus.

A N T. ÆMILIUS.

ILLVSTRIS GYMNASII  
ULTRAIECTINI  
Inauguratio.

 *U*nus amplissimis prudentissimiisque  
Dominis Consulibus & Senatui Urbis  
Ultrajectinae visum fuisset, in urbe  
patriâ, ad Dei gloriam & publicam u-  
tilitatem, Illustre Gymnasium aperire, in  
quo præter variarum linguarum lectiones,  
etiam liberales Artes, & præclaræ scientiae tracta-  
rentur, ejusque Inaugurationi, paßim per circumiacen-  
tes urbes propositis libellis, præfinitus fuisset dies xv. Kal.  
Quinct. Anni cIɔ Iɔ c xxxiv: propridie denique illius diei,  
ut magnum hoc cæptum feliciter & ex sententiâ S.P.Q.U.  
eveniret, publicæ omnibus templis ad Deum Opt. Max.  
preces institutæ fuere, atque edicto die Inauguratio eo, qui  
sequitur, apparatu & pompa celebrata fuit.

Principio D. Prætor, Consules, Senatus, Civitatis Ad-  
vocatus, & qui eidem à Secretis, cum manè ad horam sep-  
timam in Curiam convénissent, accitis Professoribus, quos  
rogatos publici apparitores eodem deduxere, cuncti hoc or-  
dine ad Illustrēm Scholam horâ octavâ procedunt.

Prægrediebantur D. Prætor, & Consules, præuentibus  
quinque apparitoribus cum fascibus & Iustitiae insignibus.

## ILLVSTRIS GYMNASII

Subsequitur D. Antonius Matthæus I.V.D.ac Professor medius inter duos primarios Civitatis Senatores, prægestante pedello scipionem ex ebeno, urbis & Illust. Gymnasij argenteo insigni decorum. Succedunt D. Ant. Aemilius Historiarum, Iustus Liræus Humaniorum Literarum, & M. Henricus Renerius Philosophiæ, Professores, medijs inter binos singuli Senatores. Hos deinde reliqui Magistratus sequuntur, terni ordine, quo quisque in senatum allecti, procedentes; & cum his eorum Advocatus, & qui iisdem à Secretis. Novissimi ibant reliqui Civitatis administrari: atque èâ, quâ dictum, serie universi per aream Curiæ in vicum Choralem progrediuntur: deinde per pontem Martinianum turrim Dominicam subeuntes, per templum maximum & Australem ejusdem porticum, in Illustris Scholæ majus auditorium ingrediuntur, sellis subselliosisque decenter instructum, & peripetasmatis atque aulaeis adornatum. Pars nempe templi Dominici, quæ in meridiem spectat (majus Capitulum vulgo indigitant, comitium olim Ordinum Provincialium) distributa est in duo ampla & splendida auditoria, augustâ & sumptuosa substructio- ne, & spatiose peristylio medioque hypathro conspicua. In ipso autem majore auditorio ex edito loco publicorum musi- corum cohors organis primò pneumaticis, dein assâ voce & fidibus incredibili cum voluptate aures ingredientis pompa continententer permulcebatur. Interè loci convocantur D. Ordines & Senatores Provinciales, ad hanc panegyrin suâ præsentiam cohonestandam jam ante rogati: Pastores itidem Ecclesiarum, quâ Belgicæ, quâ Gallica & Angli- cæ, &

## IN AVGVRATIO.

et frequentissimus Nobilium, Iuris consultorū, Medicorum, aliorumque spectatissimorum virorum cætus, quibus suis pro cuiusque dignitate & ordine locus attributus fuit, quoad ejus in tanto cuiusquemodi hominum, tam civium quam exterorum, turbâ fieri potuit.

In hoc rerum apparatu & celeberrimo auditorum spectatorumq; concursu, D. Ioannes Niportius, I.C. & Civitati à Secretis, cathedram concendit, orationem Inauguralem ex voluntate Magistratus habiturus: quâ perorata musicorum de integrò suavissimo concentu omnia personare. Deinde D. Ant. Matthæus orationem suę professio- ni consentaneam dixit, eaque absolutâ omnium aures rursus jucundissimâ symphoniam exhilarantur. Inter hæc D. Ordinibus, Senatoribus Provincialibus, Pastoribus, ceterisque auditoribus jam digressis, Professores à D. Praetore, Consulibus, & universo Magistratu eadem, quâ ante, serie in Curiam, atque inde à pedello & publicis apparitoribus suam quisque domum reducuntur.

A meridie D. Antonius Æmilius à pedello, cæteri autem Professores à viatoribus publicis acciti, in senatus ecclesiastici conclave, quod in templo Dominico, atque inde in majus auditorium Illustris Scholæ deducuntur, eodem rursus coeuntibus D. Ordinibus, Senatoribus Provincialibus, universo Magistratu, & Pastoribus, aliisque quam plurimi virtute & eruditione spectatissimis viris. Ubi vero musici aliquamdiu suavissimi concentus dulcedine auditorum animos perfudissent, D. Ant. Æmilius Cathedram ascendit, & de novo hoc ac laudabili Magistratus insti-

ILLVSTRIS GYMNASII  
tuto, & Historicæ lectionis utilitate peroravit : quem di-  
misso auditorio pedellus domum reduxit.

Postridie pedellus D. Professores Iustum Liræum  
& M. Henricum Renerium, cæteros autem Professores  
accensi, in majus auditoriū deduxere, & coram D. Ordini-  
bus, Prætore, Consulibus, utriusq; Curiæ Senatoribus, Pa-  
storibus, aliisq; promiscui Ordinis literatis viris, & frequē-  
ti auditorum coronâ, prior cathedram descendens D. Iu-  
stus Liræus Orationem encomiasticam de Humanitatis  
studiis, eūq; secutus D. M. Henricus Renerius suam de-  
rectâ Philosophandi ratione, habuere, fidium modulis sin-  
gulos actus inchoantibus & claudentibus. His peractis, &  
digressis auditoribus, eodem quo ante modo Professores su-  
am quisque domum reducuntur.

Eopse autem die magnifico apparatu epulum in Agne-  
tæ monasterio à Magistratu instructum fuit, ubi in ampio  
atq; luculèto cœnaculo longissimâ serie uni mēsæ accubuere  
D. Ordines, in quîs Generosissimus Comes Solmensis, &c.  
Prætor, Consules, Senatores Curiæ Provincialis, Professo-  
res, Pastores, atq; infra eos, tanquam convivatores universus  
Magistratus, Civitatis Advocatus, & qui eidem à Secretis,  
undenonaginta omnino convivæ, musicis interea concin-  
nâ & numerosâ modulorum varietate convivalem luben-  
tiam provocantibus.

In sequente autem Martis die, qui viii. Kal. Quindil.  
D. Professores à suarum quisque lectionum præfatione pu-  
blicè docendi exordium cepere in utroque auditorio, non a-  
dolescentium modo, verùm etiam virorum aetate gravi-  
um, ge-

## IN AVGVRATIO.

um, generisque splendore & doctrinâ conspicuorum, quibus  
hæc urbs abundat, cætu frequentissimo.

Postmodum D. Gilbertus Voetius S. Theologiæ &  
Hebrææ Linguæ Professor, qui munere Ecclesiastico apud  
Heusdanos, dum successorem querunt, districtus Inaugu-  
rationi interesse non potuit, xii. denique Kal. Septemb.  
CIO IO C XXXIV, à pedello & duobus apparitoribus in  
Curiam, atque inde medius inter duos viros Consulares,  
præeunte pedello, & subsequentibus duobus viatoribus, in  
majus auditorium Illustris Gymnasij deductus, Inaugura-  
lem Orationem habuit de pietate cum scientia conjun-  
genda, presentibus D. Ordinibus, Consulibus, utro-  
que Senatu, Professoribus, Pastoribus, & celeberrimâ  
cujsque ordinis & ætatis coronâ. Postridie autem publi-  
cas lectiones auspiciatus est.

His auspiciis atque apparatu panegyrica Inauguratio Il-  
lustris Scholæ, qua Trajecti ad Rhenum, celebrata fuit:  
cujus primordia Deus Opt. Max. suo illo IUSTITIÆ  
SOLE illustret, & cœlesti gratiâ ita amplificet, ut  
majoribus in dies pietatis & doctrinæ incrementis ma-  
gis magisque efflorescat, ad divini Nominis sui gloriam,  
Ecclesia & Reip. incolumentem, civiumque universorum  
utilitatem & salutem perpetuam. A M E N.



IOANNIS NIORTII I. C.

Civitati Ultrajectinæ à Secretis

# O R A T I O

In Illustr. Gymnasij Ultrajectini

IN AVGVRATIONEM.

*Nobilissimi potentissimique hujus Provinciæ ORDINES, Illustris & generose COMES, PRÆTOR & CONSULES magnifici, Amplissimi, prudenterissimique, tum CURIÆ PROVINCIALIS, tum hujus VRBIS SENATORES, Clarissimi Domini PROFESSORES, ECCLESIASTÆ reverendi, DOCTORES, MAGISTRI & quotquot huc convenisti, nobiles, docti, & spectati cives atque advenæ, Ornatisima juvenum corona.*



V O D erat optandum maximè, quodque unum ad consummandam hujus urbis majestatem atque gloriam desiderari videbatur, id hodierno die singulari Dei beneficio & amplissimi Magistratus curâ atque diligentia consequimur. Etenim sæpe ego mirari so-

B

leo

## IOANNIS NIORTII

leo quod , cum omnia alia abundè hic essent,& cum  
majores nostri in urbe principe aliarumq; non mo-  
dò urbium sed & Provinciarum capite ac dominâ  
quidlibet potuissent adipisci simul ut velle cœpif-  
sent, haetenus tamen nulla hic instituta fuerit Aca-  
demia, aut similis aliqua Illustris Schola. Idque eo  
magis, quod civitas nostra nunquam abhorruit à li-  
teris & literatis; quinimo à multis seculis literarum  
gloriâ celebris fuit, fueruntque hic semper in hono-  
re studia : nusquam in hisce regionibus (absit invi-  
dia verbo) ingeniorum felicior proventus, nusquam  
doctrinæ uberior seges. Audio extitisse aliquando  
magno & excellenti ingenio viros , qui liberaliter  
eruditi, exercitij atque animi gratiâ , Ius Civile &  
Historiam Romanam publicè hic explicârunt. Si-  
cuti hoc idem etiam in maximis aliarum regionum  
urbibus fieri videre est. Sed quum optandum fuis-  
set alios quoq; studiorum suorum fiduciam haben-  
tes laudabile hoc exemplum secutos fuisse , nemo  
tamen repertus est qui eorum vestigiis infistere  
conatus fuerit. Tum & de Papâ Hadriano VI., qui  
in hac urbe in lucem editus est , narratur , verè  
ne an falsò nescio, ipsi, quâ erat eruditione, & in ur-  
bem patriam ac doctrinæ studia propensione, id a-  
nimi fuisse aliquam literarij Collegij aut Illustris  
Gymnasij formam hic constituere; in eamq; rem cu-  
rasse exstrui splēdidas illas ædes quæ ab ipso nomē  
habent & adhuc hodie conspicuntur : sed repen-  
tinâ

## O R A T I O.

tinâ morte opus animo conceptum & jam inchoatum abruptum fuisse. Verùm hæc vulgò jactata, quia nullo autore certo firmantur, missa facio. Id compertum ego habeo feriò hac de re cogitatum fuisse ante quinquaginta annos aut amplius, Rep. jam vix Hispānicâ dominatione liberatâ. Reperio in Regestis nostris tribus ex Senatu hujus urbis id negotij datum fuisse uti cum Clero & Nobilitate hujus Provinciæ super hac re deliberarent. Atq; utinam tum temporis effectū fuisse quod tam laudabiliter propositum erat. Haberemus, Aud. Scholam adultam cuius nunc incunabula videmus. Sed credibile est difficultate temporum, quippe fluctuante adhuc patriæ nostræ statu, dein per turbas & seditiones intestinas, crebrasq; magistratum mutationes, & consuetudine eâ quâ tum res gerebantur, nobile hoc institutum deinceps neglectum fuisse. Nunc verò quandoquidem perpetuum magistratum habemus, qui liberius & constantius ea curare potest quæ ad splēdorem & utilitatem civitatis spectare videntur, ut multa alia præclara in hanc urbem sunt allata, sic etiam literæ disciplinæque (quæ hic nunquam exulârunt) liberalius exceptæ, earūq; publica exercitia instituta sunt. Quâ quidem ratione civitatis hujus rectores, viri amplissimi spectissimique, eorum qui ante eos fuerunt, non modò adequârunt gloriâ, sed & superârūt. In quo tam laudabili instituto prædicando utinâ mihi tantū facul-

I O A N N I S N I P O R T I I

tatis esset quantū est voluntatis. Quid enim majus quā re homines præstant ceteris animalibus, efficere uti ea in re cives etiam aliis hominibus antecellant? eosq; qui civitatem administrat, de posterritate nō minus quam de semetipſis ſollicitos, Reip. ita cōſulere, uti maximus inde fructus ad eos qui aliquādo futuri ſunt derivetur? Hæc eſt illa vera patriæ caritas, quam non ſenſu noſtro, ſed ſalute ipſius metimur. Iam dudum prudentiſſimi viri, officiij ſui non ignari, præcipue in animum induxerunt, quam maximè ſtudere publicis commodiſ; neque ſatiſ eſſe poviſere ne quid Respub. detrimenti capiat, ſed & ſedulò operam dare quo ejus ſplendor in dies magis ac magis augeatur. Hac illi contentionē varia dignitatis ornementa & utilitatis præſidia celeberrimæ urbi quæſiverunt: atque ita progressio inſignis admirabilisq; cursus ad omnem excellentiam factus eſt. Sed omnium horum nihil eſt profeſtō præſtabilius, nihil ad urbis famam & utilitatem ciuium pulcrius aut illuſtrius, quam decus illud quod hoc tempore ab artiū ac diſciplinarum ſtudiis, eorumque publicā profeffione, huic urbi confeſſunt: uti quemadmodum illa non facile ulli unquam viſinarum urbium confeſſit ingenij & literarum gloriā, ſic iis in posterū quoque hujus generis laudem, quantum fieri poteſt, eripiat.

Cæterum hoc etiam omni prædicatione dignum quod optatiſſimæ huic rei destinārunt nobilissimum hunc

O R A T I O.

hunc & augustissimū locū, qui vel ipse magestate suā nos ad omnē virtutem & eruditionē allicere posset. Ut enim omittā conventus Ordinum & comitia hic olim haberī solita: hic ipse locus est, in quo majores nostri , unā cum legatis sociarum provinciarum & urbium , quām maximē serīo deliberarunt quā ratione intolerabile servitutis Hispanicæ jugum humeris excussum propellerent , & Remp. in perpetuam atque constantem libertatem vindicarent. Hic ipse locus est , in quo adversus Hispanorum tyrannidem, & cujuscunque injustam dominationem, pāctum est arētius illud Vnitarum Provinciarum fœdus, quod ab urbe nostrā nomen habet. Quo fœdere nixi in hodiernum usque diem, summi numinis benignitate, adversus potentissimi hostis vim atque rabiem firmi & immoti stamus, stabimusque quamdiu sanctè & inviolabiliter in ejus observatione concordes perseverabimus. Enimvero id persuasum habeamus statim hunc nostrum nullā re magis retinere nos posse. Nam ut extra fœdus istud meliore simus loco sperandū non est: non enim de imperij finibus quæstio est ; de vitā & libertate nostrā agitur. unus nobis esset gradus aut interitus aut servitutis. quō ne trudamur avertat Deus opt. max. cuius ope & auxilio potius , quām hominum industriā aut consilio , Resp. nostrā à tam parvis initiis orta in hanc magnitudinem crevit. Interim non satis venerari possumus cordatissimos illos morta-

## IOANNIS NIPORTII

les, qui tam solida libertatis nostræ jecerunt funda-  
menta, quique prudentiâ suâ ac salubribus consiliis,  
non minus quam armis, Remp. defenderunt; & sibi  
hoc pacto perennem paraverunt gloriam. Quos  
considerans & eorum benefacta ex æquo æstimans  
animus amans patriæ , fieri non potest quin gratâ  
recordatione delectetur , & vehementissimè ad eo-  
rum amorem ac imitationem accendatur. Itaque  
usu hoc eveniet uti de iis acrius aliquanto & atten-  
tius loci hujus admonitu cogitemus. Movemur e-  
nìm nescio quomodo locis ipsis , in quibus eorum  
quos æstimamus & admiramur adsunt vestigia. Py-  
thagoras , teste Seneca,dicere solebat alium animū  
fieri intrantibus templum. idem nobis in augustissimo  
hoc sacrario continget , ac mentes nostras ip-  
sâ cogitatione hominum excellentium erigi , & cō-  
firmari sentiemus. Evidem non satis oportet  
indicia hæc veteris memoriæ cognoscere , verū ista  
ad imitandos summos illos viros præcipue nos ex-  
citare debent. Non enim locus iste tātam in se vim  
habet, sed recordatio rerum hic gestarum flammam  
hanc accedit, quæ in maximis animis, altissimisq;  
ingeniis non ante sedari solet, quam eorum virtutes  
adæquatæ sint. Et sanè providendum nobis, Aud.,  
& summopere admidendum, ne partam à majoribus  
libertatem per inertiam amittamus : & quemadmodum  
non defuere insignes & industrij viri con-  
stituendæ Reip.; sic non defint ei tuendæ & conser-  
vandæ:

O R A T I O .

vandæ : non modò armis , (quibus fines imperij nostri longè latèque protulimus , & maximam per universum orbem famam atque gloriam consecuti sumus ) sed & consilio , ratione , prudentiâ . Hæ nobis erunt artes , quibus non minus quam præliis Græci pariter & Romani nominis sui majestatem tam latè porrexerunt .

Quid quod hæ ipsæ artes hic docebuntur ; ac locus iste , ubi olim sanctissima consilia audita , ubi saluberrima illa suffragia prolata sunt , posthac doctissimorum virorum vocibus personabit . E quibus iij qui in luce Reip . aut jam vivunt , aut aliquando vivi turi sunt , multa percipient quibus ad res gerundas , & civilem prudentiam informentur ; uti cum laude Reip . præesse possint , ac probè noscant quo pacto salutem & libertatem civiū , vel bonis legibus , vel salutaribus consiliis , vel judiciis gravibus conservent . Etenim longè errant , meā quidem sententiâ , qui nihil horum in Scholis addisci putant , sed exactam eorum cognitionem duntaxat per indolem usus disciplinam acquiri . Qui sano judicio & generoso animo sunt ridebunt ineptias eorum , qui de rebus optimis tam perverse sentiunt . Nam contra reputando , quid homini in regunda Rep . versanti magis utile ac necessarium invenias , quām omnis exempli documenta in illustri posita intueri , uti inde si bi suæque Reip . quod imitetur capiat , inde fædum inceptu , fædum exitu quod vitet ? Atqui hæc nobis præstant rerum

## IOANNIS NIPORTII

rerum gestarum cognitio , & Reip. administrandæ scientia. Non inficiar fuisse, atque etiamnum esse, hic, & alibi, summos in Rep. viros, qui, licet nullum unquam cum Musis commercium habuerint, naturæ ipsius habitu , soloque usu & exercitatione , sagaces & prudentes exstiterunt ; atque in rebus regundis multos superarunt, qui ab ineunte ætate diligentem literis operam navârant . Quin & hoc addo , sæpius naturam sine doctrinâ quam sine naturâ suffecisse doctrinam. Sed rursus sic statuo , cum hæc idoneam atque insignem est complexa naturam , tum præclarum quid ac singulare solere exsurgere. Doctrina enim vera animi cultura est, quæ præparat animos ad satus accipiendos , eaque infert his, quæ adulta fructus uberrimos ferant. Dein videre est eos ferè melius moratos , & moderatos magis esse , quos studia ad modestiam magnitudinemque animi erudierunt. Ad hæc solidâ rerum gestarum & Reip. regundæ cognitione acquisitâ, non conturbamur ignoratione rerum , neque tam facile argutâ alicujus oratione à recta sententia abducimur. Cui antecedenti scientiæ cum judicium accedit, simul usus, & impigræ mentis experientia, ibi illa rerum humanarum regina , illa civitatum gubernatrix, efflorescit prudenter. Verùm hæc negliguntur hodie à quamplurimis, quos ad majorum imitationem sese componere degeneris animi cordia impedit. Et hinc est, quod cum ad insigne aliquod

## O R A T I O

Iiquid in Republ. munus obeundum vocari volunt s̄epe nudi reperiuntur & inermes, nullā cognitione rerum , nullā liberali doctrinā instructi. Cujus quidem rei in promptu est causa. Vident stulti adolescentuli munera publica s̄epius pro libitu, non semper ex merito distribui, atq; ex favore plerumq; p̄dere ad dignitates extolli; neq; semper virtuti aut eruditioni honorem dari. Idq; non parum officit studiis & progressibus optimorum quorumque, qui bonis prognati , & iis quibus in manu est suis gratificari , & ad honores provehere quos velint, tantā parentū aut propinquorum autoritate freti, laborem incautā mente diffugiūt, & ad inertiam se pessundant, rati se favore suorum, sive aptos sive ineptos, honores & munera publica adepturos. Hic error, & levis h̄ec insania , multerum animos occupavit , qui inconsideratē videntes duntaxat quæ ante oculos sunt, nec prospicientes futura , vitæ ac studiorum fundamenta in aquā ponunt. Nam, præterquam quòd , cùm evenit quod volunt, & ipsi ad Remp. vocantur, tunc demum animadvertunt quāto præsidio destituti sint : ( quippe qui in eo statu sunt , uti impune ineptire non possint ; deplorantes serius vitam anteactam , ubi per socordiam ætas , tempus , & occasio defluxere ) cogitare dēberent multa cadere inter calicem supremaque labra. Primum enim parentes & amicos mortales esse, iisque ante justam æstatem suam aliquid humanitus posse

C

contin-

contingere. Deinde non omnes omni tempore pri-  
mos, aut summo in loco esse posse; fortunamq; in-  
stabilem nunc his nunc aliis benignam esse. Ita-  
que cum ea sese convertit, & fallacem vultum mu-  
tavit, tunc ferò nimis id sentiunt, quod, cum secun-  
dæ adhuc res essent, præmeditatū oportuisset. Ca-  
rēt enim non modò ope & auxilio eorum in quibus  
omnem spem suam reposuerant; sed & iis artibus  
ac scientiis, quæ tristium lætorumq; fidissimæ sunt  
sociæ. Et sic turpes atque inglorij miserabilem vi-  
tam transeunt. Qua de re plura dicere hoc tem-  
pore non est neceſſe.

Ad alia pergo, & ea quidē vel maxima. Est enim  
Magistratus nostri insigni pietate atque industriâ  
prospectum, uti non humanarum modò, sed & divi-  
narum rerum hic excolatur scientia; atque ita A-  
thenæum hoc non Reip. solùm, verum etiam Ec-  
clesiæ futurum sit seminarium. Quæ res non exi-  
guam hic habitura est & dignitatem & utilitatem:  
Siquidem hæc professio multò melior, utilior &  
gloriosior putanda est, quam ulla ceterarum, quas  
tantùm antecellit, quantùm divina humanis, cæle-  
stia terrenis, præstant. Et sanè, si rectè expendas,  
hoc unum studium verè liberale est, hoc verum est  
sapientiæ studium; cetera vana sunt, si cum hoc  
cōparentur. Quid enim eorum ad fidem & veram  
virtutem viam sternit? quid ex iis tam efficaciter  
medetur animis, inanes follicitudines demit, metū  
pellit,

O R A T I O.

pellit , cupiditatibus liberat , libidinem frenat ?  
Iam verò efficit id omne divina hæc sapientia ,  
quâ ad cultum veræ majestatis mentes hominum  
imbuuntur . Etenim est animarum nostrarum quod-  
dam quasi pabulum verbum Dei , & considera-  
tio , contemplatioque justitiae , & gratiae divinæ :  
in quibus certâ spe , & indubitata fide versantes  
mirum in modum confirmamur , erigimur , hu-  
mana despicimus , cogitantesque supera atque cæ-  
lestia cuncta alia ut exigua aut inania conte-  
mnimus . Quo quid est quæso optabilius ? quid  
præstantius ? quid homini melius ? quid homine  
dignius ? Neque dubitandum quin occasione  
hujus Gymnasij multi honesti cives seque libe-  
rosque suos ad præstantissimum hoc sint applica-  
turi studium , cuius tractatio optimo atque am-  
plissimo quoque dignissima est . Ad hæc quām  
multa reperiuntur præclara ingenia , quorum lau-  
dandis conatibus angustia rei familiaris obstat ;  
quiique sæpen numero , ob ingentes sumptus , qui-  
bus in Academiis sustinendis ipsi vel parentes  
impares sunt , ab honestissimo instituto desistere  
coguntur , cum magno Ecclesiæ & Reip. detri-  
mento ? Quod si itaque posthac existent bonæ  
indolis ac spei juvenes , quos animi sublimis ar-  
dor ad Christianæ religionis mysteria percipien-  
da impellet , tales hic in ædibus parentum & ami-  
corum parvis sumptibus huic studio operam da-  
bunt;

bunt ; & exigente necessitate poterit iis honori-  
ficè subveniri. Quà ratione latentia multorum  
ignenia in lucem hominum extraheantur ; quo-  
rum alioquin studia aut jacent prorsus , aut non  
tam ardenter ab iis arripiuntur , quando pretium  
suum illis non ponitur , & solum conscientiæ thea-  
trum virtuti eorum relinquitur. Enimvero hoc  
viris principibus vel maximè dignum est inge-  
nii dotes in aliis venerari & fovere ; quæ gratiâ  
favoreque potentium incredibile dictu est quan-  
tum excitentur. Vt nihil addam de iis qui in  
spem sacri ministerij aluntur , quibus hic in ocul-  
lis & adspectu Mecœnatum versantibus , eorum  
vitæ & studiorum exactior ratio haberi poterit.  
Publicè enim interest uti horum adolescentia si-  
ne labe transeat , & uti ipsi amplissimam omnium  
artium , hanc veræ fidei & rectè vivendi discipli-  
nam , non modò probè addiscant , sed & præcipue  
vitâ & moribus exprimant. Siquidem de his non  
ineptè dixeris quod in Legibus suis Cicero in  
magistratu requirit : *Is ordo vitio vacato , ceteris*  
*specimen esto.* Nam ab aliis sive erratum sive com-  
missum est quipiam omne id incommodum in  
unum recidit auctorem. Hi autem , cum peccant ,  
exemplo plus nocent , quàm peccato. Evidem  
curandum est , quantum fieri potest , ut ita morati ,  
ita animo ac vitâ constituti sint , sicuti ipsorum  
professio postulat. Vt enim si Grammaticum se  
profes-

O R A T I O .

professus quispiam barbarè loquatur , aut si absurdè canatis , qui existinari vult Musicus , eo magis ridendus est , quod in eo ipso peccat , cuius profitetur scientiam : sic divino huic studio operam dans , si in ratione vitæ peccet , eò turpior est quod in officio , cuius magister esse vult , labitur , artemque vitæ professus delinquit in vitâ .

Porrò non satis prædicare possum , quantum Iurisprudentiæ studiosis Curia nostra Provincialis & opportunitatis & utilitatis sit allatura . Quantum enim hoc est , quod quotidie audient disertissimos Advocatos causas orantes , & de rebus controversis aptè atque ornate in utramque partem dicentes ? Quantum hoc , quod hic dabitur forenses exercitationes cum ipsâ juris arte conjungere ? idque sine studiorum intermissione ; quorum cursum interpellari , aut sisti non est è re juventutis . Quid ? quod hac ratione ingenia prompta expeditaque celeri compendio in rem præsentem ducentur , & quæ in Gymnasiis eruditè traduntur quomodo ad usum communem referenda sint facili negotio addiscent ? Quàm ingens inde præsidium , quantumq; constantiæ & judicij statim illis erit , cum in foro atq; inter causarum discrimina versaturi sunt ? Etenim Iurisprudentiæ , quæ passim in Scholis tractatur , acutū quidem genus est , sed ad usum popularē atque civilem non omnino accommodatum , multa in eo sunt , quæ li-

## IOANNIS NIPORTII

cet præclarè didiceris; tamen cum ea ex umbraculis & otio ad forum, atque negotia perduxeris, non videaris pretium habere operæ; atque illa, quæ te scire credas, nescias, & quæ tibi putaris prima in experiundo repudies. Nam, ut rectè M. Tullius, *omnes artes aliter tractantur ab iis, qui eas ad usum transfrerunt, aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati, nihil in vita sunt aliud asturi.* Evidem illi intemperanter mihi videri solent abuti otio & literis, qui nimis multum operę impendunt in res inutiles, aut parum profuturas, studiisque ita penitus se abundunt, uti nihil possint ex his, neque ad communem adferre fructum, neque in adspectum lucemq; proferre. Quis enim laudet difficiles habere nugas, inque ineptiis multū laboris consumere? Nonnè satius est ea tractare quæ vitæ hominum, & rebus gerundis apta sunt? & res ipsas potius, quam imagines, cōsēctari? An non præstat ad vitæ communis usum scientiam suam referre, quam ad pomparam duntaxat, aut ad speciem doctum esse? Verūm enim verò ab iis quoq; mea semper ratio volūtasq; abhorruit, qui nullā liberali perceptā doctrinā, nulloq; aliarum scientiarum præsidio instructi, jus civile quasi illotis manibus attingunt, & cruda ingenia, nullis politioribus literis maturata, ad ejus studium applicant. Dein nobilissimam hanc artem planè illiberaliter & sine ullā ingenuitate tractant; neque solidam eminentemq; ejus scientiam requirunt,

runt, sed satis esse credunt perfunctoriè eam percurrere. Ita studia sua præcipitant; ac curriculo sæpe nondum absoluto, ad forum se conferunt, & ad quæstum festinat; quicquid eò non ducit id omne devium existimantes. His illecebris impediti nihil spirare magnum aut generosum possunt: sed, eodem tramite pergentes, in reliquâ vitâ dignissimam hanc scientiam tanquam sordidum opificium tractant: nihil illis sapit quod lucrum non sapit. In nullo alio liberali studio voluptatem aut laborem capiunt. Humaniores literas, præcepta sapientum, ac memoriam omnis antiquitatis plane negligunt. Atq; hinc est quod tantum ab excellentiâ veterū Iurisconsultorum recessimus. His longè alia mens erat: quippe qui ex Philosophiæ fontibus hauriebant juris & æQUITATIS scientiam, quæ sola aut nuda apud eos non erat, sed artiū aliarum pulcherrimo comitatu decorata. Et certe optandum esset præclarissimæ huic arti eam dignitatem ac majestatem tribui, quæ illi debetur: & liberalia ingenia ad honestæ eruditionis cupidinem scientiarumque contemplationem duci, ac à turpi agrestiq; rerū & verborū imperitiâ vindicari. Mea sic est ratio, & ita animū induco meū: Scientias atq; artes ingenuas ne à limine quidem salutare & studiū nobilissimum tanquam illiberale artificium addiscere indecorum plane esse. Rursum nimis magnum studium multamque operam in res conferre supervacuas

IOANNIS NIPORTII

vacuas atque ab usu recedentes , & nimiâ discendi cupiditate à rebus agendis abduci, contra civis boni officium esse , & contra civilis vitæ societatem. Quibus vitiis declinatis , quod in rebus honestis & scitu dignis operæ curæque ponetur, id jure laudabitur. Qui igitur aliarum artium mediocri præsidio instruēti, adhibitâ quoque differendi elegantiâ, solidam & exactam juris scientiam ad civilem usum traducunt, illi mihi profecto omne tulisse punctionem videntur. Sed suæ cuique sunt rationes , & sua quemque voluptas trahit. Quorum itaque aut res aut ætas compendium studij postulant, his celesti facilique negotio in hoc nostro Gymnasio cursum juris absolvere , & se in forum transferre dabitur. Quibus autem altior est animus, hi penitus se in Iurisprudentię adyta conferre poterunt, & multiplici scientiâ animum instruere.

Dies me deficiat, Aud. si de Philosophiâ, de studiis quæ ab humanitate nomen habent, aliisque artibus ac scientiis quæ in hoc nostro Athenæo tractabuntur , singulatim quoque differere vellem. Quantum elegantiores hæ disciplinæ vitæ hominum & commodi & ornamenti adferant, quamque sine eorum adminiculo graviores doctrinæ sint quasi mancæ ac mutilæ , nemo mediocriter doctus ignorat : & ex iis quæ dixi abunde percipere potuisse. Itaque ad ulteriora pergo , ne in immensum hæc crescat oratio.

Iam

## O R A T I O.

Iam quantum hoc est quod civibus nostris Schola hæc præstabit, quod pubes nostra literaria hic in oculis & adspectu parentum & amicorum versabitur? Quanta hinc nobis, quanta liberis nostris utilitas? In hac enim ætate fundamenta vel bene vel male vivendi plerumque jaciuntur, & animus adolescentium, tener atque facilis, ad virtutem vel ad vitium formatur, quamq; semel admisit impressionem eam in reliquâ ferè vitâ servat. Nunc autem quemadmodum omnes nimiâ licentiâ detersores fieri solemus, ita videre est multos è ludis trivialibus, tanquam carcere, liberatos, mox in Academiis sui juris & arbitrij factos, suæque tutelæ cõmissos, subitam illam mutationem ferre non posse, & libertatis Academicæ ventis abripi ac insolescere. Enimvero mobiles eorum animi præmaturè in discrimen trahuntur: eò enim perducuntur, ubi ætati maximè lubricæ & incertæ sæpe exempla nequitia præbentur, & quotidiano usu atq; illecebris haud difficulter pares similesque ceteris efficiuntur. Dein, neque sumptui neque mœdestiæ parcentes, nihil pensi neque moderati habent; quin & sæpe suam aut aliorum vitam labefactant. Atque ita non rarò improvidâ ætate iis se irretiunt erratis uti ad bonam frugem redire vix sit integrum. Fatores esse plurimos qui rectitudine bonæ indolis ex hac contagione nihil mali trahunt, quorumque adolescentia inter tanta seculi vitia impolluta manet.

D

net. Neque etiam sum inscius concessu omnium huic aliquem ludum ætati dari : multos quoque licet se totos protervitati, patrimonij effusioni, aliisq; vitiis, quæ illa fert ætas, dedissent, emersisse tamen aliquando, & cum adolescentiæ cupiditates defer- buissent, firmatâ jam ætate, graves homines ac pruden- tes extitisse. Sed non omnibus id contingit. **Q**uinimo quām id periculosest cunctis, quām perniciosest nonnullis? Nonne etiam cuivis acci- dere potest quod cuiquam potest? Nonne præstat cum moderamine aliquo in officio contineri illâ ætate, cùm putant se errare cum excusatione posse? & disciplinâ aliquâ coërceri potius, quām quasi le- gibus solutis vitæ dissolutæ occasionem præberi? Evidem novi ego hanc unam ferè ex præcipuis fuisse causis condendi hujus Gymnasij. Censuit e- nim prudentissimus Magistratus juventutem secu- rius, certiusque & minori sumptu studiorum suo- rum cursum hic absolvere posse: vel saltem præ- parari ad ubiores animi cultus, firmiore ætate, in Academiis capeſſendos; & studia illic, parvâ tem- poris & sumptuum accessione, ad finem perducen- da. Non concedetur hic effrænis illa licentia. Ha- bebunt in quo juventutem suam exerceant nobiles & honestas illas exercitationes, quibus ingenia ad omnem eruditionem formantur, quæq; multū con- ferunt cum ad augmentum scientiæ, tum ad studia bene & ordine instituenda. Habebunt hic duces inge-

## O R A T I O.

ingenio & doctrinâ præstantes viros , qui errantibus monstrent viam, quâ , in tantâ scientiarum artiumque multitudine,tutius celeriusque ad sapientiam pertingere queant; qui que vivâ voce ea in animos auditorum diffundant, quæ, quamvis ex libris cognosci possint, doctorem tamen lumenque desiderant.

Quin etiam non deerunt nobiles & spectati viri, urbis hujus cives aut incolæ , qui nihil præter ætatem aut conditionem facere se arbitrabuntur , si studia à primâ adolescentiâ culta his rursus doctribus renovent. Non enim putandum juventutis solummodo esse studia quæ hic tractabuntur. omni ætati convenient : adolescentiam alunt, virilem ætatem ornant, senectutem oblectant. Pomponius I.C. annos septuaginta & octo natus, scribere non dubitavit se discēdi cupiditate, quam solam viven- di rationem optimam ducebat, memorem esse ejus sententiæ qui dixisse fertur : *Etsi alterum pedem in sepulcro haberem, non pigeret aliquid addiscere.* Et pro- fectò si nonnulli decursis ferè vitæ spatiis, & præci- pitatâ jam ætate , ad studia doctrinæ se contulerūt, eamq; sibi requiem jucundissimam putarūt : quan- tò justius nos, quæ olim didicimus, hac occasione recolemus ? Idque amplissimo Magistratui nostro acceptum ferre decet; qui hæc nobis fecit otia, has- que ingenij remissiones, quæ paratæ & ad manus e- runt quando animus, interstitione aliquâ negotiorū

## IOANNIS NIPO RTII

datâ, laxari indulgeriq; cupiet: ut si cui nonnunquâ tempus voluptasq; erit, ei liceat à tetricis negotiis ad amœniora illa studia divertere, auresque populari strepitu defessas auditu rerum præclarissimorum reficere. Itaque multi proceres aliiq; Reip. munia tractantes, tempus à negotiis vacuum non melius collocari posse existimabunt, quâm si id, maximorum virorum exemplo, hisce studiis tribuant; quæ in vitâ occupatâ pauca ipsa multum sæpe profunt, & ferunt fructus, si non tantos, quantos in summo otio, tamen eos, quibus aliquâ ex parte homines rebus agendis nati addiscant seque remque publicam melius curare. Discent hic se dignitatem habere, sed cum munere officioq; devinctam. Discent hic quo pacto cum summâ utilitate Reip. magnam sibi adipiscantur & gratiam & gloriam. Discent hic quâm pulcrum atque præclarum sit de Republicâ bene mereri. Denique plenius & melius hic percipient, quomodo regant populum, stabiliant leges, castigent improbos, tueantur bonos. Hi verò qui ætatem à Rep. procul agunt, & otio abundant, si malint se ad studia doctrinæ conferre, quam socordiâ atque desidiâ bonum otium conterere, his penitus se iis dedere dabitur, & versari in honestis exercitiis atque artibus, quibus sine ambitu, sine suffragiorum emendatione, summa nominis claritudo paratur, & ingenua animi oblectatio percipitur. Quid enim dulcius otio literato?

Inest,

O R A T I O.

Inest, Auditores , in eâ ratione vivendi insatiabilis quædam è cognitione rerum voluptas,in quâ unâ, ceteris rebus posthabitatis, à negotiis liberi, honestè possumus ac liberaliter vivere. Et quid posset quis, præfertim nihil agens, agere melius ?

Quæ quidem omnia dum considero , magna me spes tenet fore uti hujus Gymnasij , cuius primordia non exigua videamus , jampridem non contemnenda videamus incrementa. Nam præter nostrates qui quam plurimi sunt, etiam è vicinis regionibus,& ab exteris nationibus,non pauci, ad capiendum ingenij cultum,ad nos adfluent.

Nihil dicam de urbis hujus amœnitate , & saluberrimâ aëris temperie,cujus causâ multi ex vicinis locis se quotidie huc transferunt,& sedem omnium rerum ac fortunarum suarum hic collocant. Nihil addam de annonæ & victus ubertate : nihil de opportunitate loci,& undiquaque accedendi commoditate ; quâ de re Guicciardinus aliiq; in urbis hujus descriptione ut singulare quid notant, & quod in nullo mundi angulo reperias , plus quam sexaginta urbes tam prope adjacere huic nostræ , uti unaquæque earum unius diei itinere hinc adiri possit. Taceo de publicis Bibliothecis,quas habemus hic varias optimorum librorum copiâ instructissimas ; inter quas insignior illa , quæ à viris amplissimis Bucchelio & Pollione Reip. nostræ legata est ; quam multorum insuper libroru accessione

IOANNIS NIPO RTII

auctam , magis ac magis instruere ac locupletare Senatui nostro animus est.

Satis mihi multa verba fecisse videor, Auditores, uti appareat quām præclarum & luculentum sit hoc , de quo agimus,institutum.

Vos jam alloquar,Illustr.potētissimiq; Proceres. favete huic Magistratus instituto. facite uti vestra autoritas eorum autoritati fautrix adjutrixque sit. Scholam hanc Illustrem benevolentiaë vestræ radiis magis ac magis illustrate.Literarum studia,eorumque sectatores,fovete,& ornate. Honos alit artes ; jacentque ea plerumque studia,quæ p̄emium aut mercedem non habent. Vobis in excelsō dignitatis gradu ætatem agentibus nihil magis decorum aut gloriosum est , quām artes ac disciplinas amare,& in honore habere. Cogitate quales sunt viri principes , tales reliquos solere esse cives : & beatam fore nostram Remp.ubi præeūtibus iis, qui eam regunt,ceteri ad eorum exemplum sapientiam & bonas artes colent.

Ad vos me cōerto,ampliss.prudētissimiq; Consules & Senatores.pergite,uti facitis,huic urbi à literarum studiis ornamenta adjungere. Efficite uti pernoscant cuncti mortales,vobis non defuisse propensam voluntatem præclaras artes fovendi & excitandi in eâ civitate,quæ ingenij laudibus cæteras anteire solet. Et si quid ad majorem hujus Scholæ dignitatem pertinere videbitur , in hoc, uti cœpistis,

O R A T I O.

pistis, ita porrò indefesso animo elaborate: considerantes turpem esse defatigationem, cum id quod quærimus est pulcherrimum. Ita ad hujus urbis & Gymnasij splendorem, atque ad nominis vestri gloriam ingens accedet cūmulus.

Vos vero, quotquot huc convenistis, nobilissimi, consultissimi, doctissimique viri, spectatissimi cives atque incolæ, accipite hæc æquis animis. facite uti à vobis & crebrâ præsentia vestrâ huic Gymnasio majus in dies lumen ac decus accedat. Multa hic audietis quæ vos scire æquum est. poteritis hic facili negotio à fœdo ignorantia situ vindicari. suppeditabuntur hic vobis ea quibus animus, varietate negotiorum defessus, reficiatur. Et quis tandem vitio vertat, quis non potius laudet, si quod ceteri ad alia oblectamenta & ad ipsam requiem animi & corporis impendunt tempus, quodque alij tribuunt intempestivis compotationibus, quod denique aleæ, quod pilæ, id vobis ad studia recolenda, animumque iis excolendum, sumpseritis. Si fortè vos juramenti religio obstrictos tenet Reip. aut literis aut armis prodesse, neque vos juvent castra, aut lituo tubæ permistus sonitus, literariæ huic militiæ vos dedit, in eaque otium vestrum conterite. Non exigua vos inde manet utilitas, qui in spem Reip. depositi estis. Si nobili genere estis nati (uti plures in hac urbe quam in ullâ vicinarum) capessite egregias has exercitationes, liberales & dignas homine nobili

IOANNIS NIPORTII

nobili disciplinas quibus animus vester imbuatur,  
& ad omnem virtutem erudiatur. Non est quod e-  
arum tractationem vobis indecoram putetis. non  
existimo vos tan⁹ abjecti & degeneris animi fore:  
optimi quippe mortalium altissima petunt. Cætera  
quæ apud homines tanti fiunt fluxa ferè & vana  
sunt: sapientiæ autem atque artium studia clara æ-  
ternaque habentur. Hæc vobis insatiabiliter pa-  
randa. Perpendite quantum hinc vobis, sive in re-  
gunda Rep. versantibus, sive aliquando versaturis,  
ad res gerundas futurum sit præsidium. gloriam  
verò è natalibus partam non modo non minui, sed  
& augeri cum ad populares illustresq; laudes etiam  
hæc minus vulgares acceſſerint. Sic majoribus ve-  
ſtris vos maximè dignos ostendetis, iisque ingenij  
ornamentis prælucebitis.

Vos denique quotquot adeſtis, ornatiss. juvenes  
ac adolescentes, agite. artium ac disciplinarū stu-  
dia ſedulò atque ardenter arripite. hæc mentis cur-  
ricula in literariâ hac palæstrâ alaci animo capes-  
ſite, & in iis magnâ contentione vos exercete.  
quisque alium ingenij gloriâ antecellere conetur.  
Artes ac scientiæ præclarissimè suis ipſæ vos illece-  
bris trahunt atque invitant. Date id operam uti  
non fruſtra conditam eſſe Scholam hanc omnes  
intelligant: neque incassum laborent lectissimi at-  
que eruditissimi viri, quos honestis præmiis evocâ-  
runt, & adhuc evocaturi ſunt amplissimi hujus ur-  
bis re-

## O R A T I O.

bis rectores. Ad eos ita accedite , uti domum redeatis & meliores & scientiam auctiores : Et vos dignos atque idoneos praestetis , spemque optimam præbeatis posse à vobis aliquando Rempublicam, in partibus vobis credendis , rectè gubernari , Ecclesiam religiosè administrari, cives consiliis & patrocinis vestris juvari ac defendi.

Hæc me in aditu illustris hujus Gymnasij præfari , & dissertatione istâ auspicia facere optimi pulcherrimique instituti voluerunt ij, quorum ego auctoritatem apud me plurimum valuisse semper , & valere oportere profiteor. Æquum erit , Auditores, veniam vos dare tumultuariae dictioni ; & quæ homini occupatissimo, extra gymnasiorū umbram ætatem agenti, exciderunt , ut talia agnoscere, atq; ignoscere si non eo sermonis nitore neque eâ disserendi elegantiâ prolata sunt, qualem locus hic & rei magnitudo postulant. Debere me hoc quicquid est judicabam urbi patriæ, ejusque nascenti Athenæo. Cætera melius & ornatius dicentur à clarissimis doctissimisque dominis Professoribus , qui loci ordinisque sui dignitatem summo cum honore tuebuntur.

Te , ô Deus Opt. Max. rerum arbiter supreme, qui omnia nutu imperioque tuo dirigis & gubernas , te fontem & largitorem omnis boni , qui sapientiam petentibus liberaliter & sine exprobatione impertiris , te supplices rogamus , uti nobis

E

mentes

I. NI P O R T I I O R A T I O.

mentes divinarum humanarumque rerum intelligentes dare, Scholamque hanc, cuius auspicia celebрамus, benignitate tuâ complecti, ac deinceps beare velis: uti illa in dies crescat, atque omnes honestæ disciplinæ & præclaræ artes in eâ diu flourant, vigeantque, ad divini nominis tui gloriam, Ecclesiæ ædificationem, & Reipublicæ salutem.

A M E N.

GISBER.

G I S B E R T I   V O E T I I

Sacrarum literarum Professoris

O R A T I O  
I N A V G V R A L I S

D E

Pietate cum scientiâ  
conjugenda.

*Illusterrimi potentiissimique &c.*

**P**ERICLÉM refert Plutarchus ad habendam concionem accessurum, Deum semper precari solitum, ne verbum sibi excideret, quod rei præsenti non conveniret. Ejus exemplum mihi sanè hoc tempore in tam illustri coronâ dicturo potius imitandum judicavi, quàm ut prolixâ compositi proloquij abductione, & minimè necessariâ benevolentiae captatione eruditas aures vestras obtunderem, tum quod omne exordium audiendi cupido sit prolixum, tum vel maximè quod eorum auctoritate ad dicendum accesserim, quibus me meaque omnia secundum Deum

ex conscientia vocationis meæ libentissimè de-  
vovi.

„ Ad te igitur me converto. Omnipotens, clemen-  
„ tissime Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, fons  
„ omnis sapientie & intelligentiae, te suppliciter rogo  
„ mentes omnium nostras Spiritus tui gratia illumines,  
„ corda sanctifices, labia & aures aperias, quo verba ve-  
„ ritatis & pacis ad tuam gloriam multorumque salutem  
„ à me aptè proferri, ab omnibus dextre percipi & in o-  
„ pera promptè converti possint. Exaudi nos per filium  
„ dilectionis tuæ unicum servatorem nostrum, cui cum pa-  
„ tre & Spiritu Sancto sit laus, honor & gloria in sæcula.  
Amen.

Cogitanti mihi, Auditores clarissimi, quo potissimum orationis genere in Athenæo hoc nostro primitus Theologicam cathedram dedicarem, in mentem venit conditionis & vocationis meæ; quæ non tam scientiarum optimarumque artiū commendationem abunde & egregiè satis à doctissimis Collegis præstitam, quam aliquod ad pietatem incentivum jure suo postulare videatur; si forte fugientem illam & tantum non terras relinquentem (ut olim Poëtæ de Astræâ suâ) retrahere & sistere queamus. Præsertim cum nemo sanus non videat, nemo pius non doleat tristissimam recidivam ferè pati hæc restaurata Christianismi tempora, & superstitione pulsâ Libertinismum, Epicureisimum, securitatem, dis-

## O R A T I O.

solutionem, mundum denique totum quasi in-  
structâ acie ingruere; ut verè de temporibus no-  
stris dici possit: *E*ße nunc scientia multum conscientia  
*parum*; & quod olim antiquitus jactatum: *Sæctu-*  
*rum esse religionum ferax, pietatis sterile.* Vsq; adeo  
*illa ingeniorum scabies* (ut loquar cū Seneca) aulas,  
porticus, fora, urbes, agros, domos, naves, currus,  
gymnasia denique omnia pervasit, ut *omnes dis-*  
*putare malint quam vivere*. Huic grassanti, huic  
infestissimo malo ut pro virili occurramus, statui-  
mus hodie conscientiis omnium, quos quidem a-  
liqua Dei sui & propriæ salutis cura tangit, hoc  
persuadere: *Pietatem cum scientiâ conjungendam,* *Argumentum.*  
*imprimis studiosis & literatis;* *& quidem in Gymnasiis,* *confitudo gov. arguendo*  
*in cursu studiorum.* *Quod argumentum cum au-**toribus Christianis, cum concionatori The-*  
*ologo, cum Gymnasio huic illustri, cum instituto*  
*Ampliss. Prudentissimique Magistratus, cum bo-*  
*norum omnium, cum Parentum, Fautorum, Tu-*  
*torum, Mecœnatum votis & honestis desideriis*  
*sit convenientissimum, quin apud vos facilem*  
*favorem & applausum inventurum sit, nullus*  
*dubito.*

*Vt ergo recte procedat oratio, operæ pretium*  
*nos facturos arbitramur, si, quid sit pietas, verbo*  
*explicemus. Non aberrabit, qui cum sacrâ scri-*  
*pturâ dicat eam esse fidem per caritatem effica-*  
*cem; aut qui in trigâ illa virtutum, summam e-*

## G I S B E R T I V O E T I I

jus constitutat , in Fide scilicet , spe , caritate . Characterismum pietatis delucide & populariter , nihilomnius docte & pathetice exhibet sanctissimus Christi Martyr Cyprianus verè Λόγιος ποντίκης καὶ ἀκτέρης ἔργων : *Humilitas in conversatione stabilitas in fide , verecundia in verbis , in factis justitia , in operibus misericordia , in moribus disciplina , injuriam facere non nosse , & factam tolerare posse , cū fratribus pacem tenere , Deum tuto corde diligere , amare in illo quod Pater est , timere quod Deus est , Christo nihil omnino præponere , quia nec nobis ille quicquam præposuit , charitati ejus inseparabiliter adhærere , Quando de ejus nomine & honore certamen est , exhibere in sermone constantiam , quā confitemur : in quaestione fiduciam quā congredimur : in morte patientiam quā coronamur . Hoc est cohæderi Christi velle esse , hoc est præceptum Dei velle facere , hoc est voluntatem Patris adimplere . Hactenus Cyprianus . Talem pietatem verę sapientiæ individuam comitem , omnium virtutum , omnium actionum nostrarum reginam & dominam , ipsa lex summi numinis omnium conscientiis , imprimis legum divinarum atque humanarum studiosis imperat . Antiqui legislatores Lycurgus , Numa aliique ut optimè institutis legibus , apud homines vitiis & pravis affectibus deditos , autoritatem aliquam conciliarent , è cœlo eas deducebant , & Dei Deæve alicujus oraculum*

O R A T I O.

lū & familiaritatem earū originem referebant. Sed nunc tali auxilio nec defensoribus illis tempus eget, in tam altâ Euangelij luce, in tam præclarâ & diffusâ Christianismi professione, in hoc illustri Gymnasio, in istâ Auditorum coronâ. Non quæram ex vobis quasi dubitabūdus, quod B. Paulus ex Agrippâ. *Credis Agrippa prophetis?* Sed fidenter dicam, superabundans gaudio, ore meo aperto ergâ vos: Scio quod creditis publicis atque indubitatis verbi divini tabulis, Christiani estis, hospites sanctorum, domestici Dei, confortes divinæ naturæ, filij prophetarum, filij scripturarum. Audite ergo Deum vestrum, popule Dei, genuia cœli propago, audite filij minimè fallaces patrem vestrum loquentem per Apostolum: Ad hoc ipsum vero vos omni collato stu- <sup>2 Pet. 1.</sup> dio, adjicere fidei vestrae virtutem, virtuti vero no- <sup>v. 5. 6. 7.</sup> titiam, notitiae vero continentiam, continentiae vero <sup>8. 9.</sup> tolerantiam, tolerantiae vero pietatem, pietati vero fraternum amorem, fraterno vero amori charitatem. Hac vero si vobis adsint & abundant, non inertes vos & infructuosos efficient in domini nostri Iesu Christi agnitione. Nam cui hæc non adsunt is coecus est, nihil procul cernens, oblitus sese à veteribus peccatis suis fuisse purificatum. Et alibi: *Quis sapiens & scientia* <sup>Iac. 3. 13.</sup> *præditus inter vos? demonstret ex bona conversatione* *opera sua, cum lenitate sapiente.* Et paulo post: *Quæ autem superne est sapientia, primum quidem casta est,* *deinde*

G I S B E R T I V O E T I I

deinde pacifica, aqua, obsequens, plena misericordia &  
fructuum bonorum. Hæc mandat summus legislator, qui potest servare & perdere. Hoc postulat à vobis fons omnis sapientiæ, à quo omne donū & perfecta donatio, à quo ars & scientia, sapiētia, & intelligentia, à quo sermo linguæ. Hoc inclamat ille qui tanquam supremus Musagetes scholis & studiis præsidet, qui verè Stator fugientiū literarum barbariem à capitibus nostris avertit, qui ingenium literarum capax nobis contulit, qui Amplissimo hujus celeberrimæ urbis Magistrati hanc mentem indidit. Si subditi summi numinis, si filij sapientiæ, si verè studiosi sumus, si sublimi ac generoso sapientiæ ardore pectus nostrum incaluit, si supra communem idiotarum, immò & proletariorum studiosorum sortem sanctâ quadam ambitione atque æmulatione attolini volumus, audiamus tam benignum Patrem ad se, ad sua, ad bonum suum immo ad bonum nostrum, ad nos ipsos, ut verè nostri & ipsius simus, nos continuò revocantem: tanto alacrius audiamus, quanto majori atque arctiori vinculo illi supra alios omnes obstringimur. Divinum est apotrophega quod fertur, Regis, qui nostrâ memoriâ vixit, maximi: *Cum ego, inquit, nascerer, vel centies mille homines mecum nati sunt. Et tamen me Deus inter omnes ad regnum nasci voluit. Decet ergo nos ejus benignitati imprimis gratiam rependere:*

## O R A T I O.

& cogitare, Magnatum peccata non esse parva. An non omnes studiosi & literati ita secum cogitare debebant? Quot nautæ, opifices, mechanici, agricolæ, gregarij milites, immo & mēdici, cœci, claudi, mutili, amentes, stupidi mecum natu sunt? Et Deus mihi inter omnes, cum natitatem ingenij bonitatem, cum educatione in Scholis & Gymnasiis uberem ejusdem culturam, ad hæc parentes nobiles, divites, liberales, aut fautores ac Mecœnates munificos, aliasque ad præclarum hoc literarium certamen, copias auxiliares abundè suppeditavit. Quid cessamus dicere cum Davide. *Quid rependam domino: omnia beneficia ejus supra me sunt.* Et. Sed quid pergit ad huc David loqui apud te? tu enim nosti servum tuum <sup>Ps. 116.</sup> <sub>2 Sam. 7.</sub> domine Iehova? Propter sermonem tuum, & secundum animum tuum, præstas has omnes res maximas, notas faciendo servo tuo. Quid enim magis gloriosum est in conspectu Dei nostri, qui æterna sapientia est, in conspectu Angelorum (quos propter scientiam dæmones Platonici, Intelligentias Peripatetici appellant) quam sapientiæ Myſtas, & divinarum humanarumque litterarum studiosos æternae sapientiæ vocem in excelsis civitatis, in plateis, in templis, in Gymnasio, in exercitiis, in studiis, in circulis, in ambulacris undique insonantem audire? O quam præclarum spectaculum, cum generos

## G I S B E R T I V O E T I I

rosos illos sapientiæ milites in augustissimo quodam theatro ante ora Deorum in his terris, parentum, amicorum, fautorum constitutos præclarum illud pietatis certamen invicto & excelso animo fuscipere, turpissimas illas & blandissimas juvenilium cupiditatum pestes vitiorum illices domare, & imbellem quemque inter ipsos Alexandri Magni sublimitatem, & fortissimorū quorumque ducum trophæa longè superare videmus! Contra quam inglorium, quam detestandum, quam toto lacrymarum Oceano deplorandum, studiosos absque Dei timore, absq; pietatis & devotionis exercitiis, absq; virtutum semente aut messe, quasi terræ filios terræ inscriptos, mundo addictos, carni & vanitati subservientes vertiginosâ atque incertâ vagatione circumagi, instar cameli in æstu, aut naufragæ navis in tempestate! Utinam, quod in ore multorum jam ab antiquo hæsit dieterium semel seperiri posset: *Eruditos esse pejores!* utinam semel communi operâ opprobrium illud ab Academiis, Gymnasiis, & studiosorum cœtibus auferamus! Cœpit jam, quod sine pudore & dolore dicere non possumus, præclarum illud studiosorū nomen nunquam absque honore nominandum, (siquidem facta verbis, res titulis convenienter) in tanto contemptu esse apud multos, etiam minimè malos, ut studiosi pari honoris & reverentia

O R A T I O.

tiæ gradu apud ipsos sint quo Pantomimi , & Scurræ urbani , aut Libertini atque Epicuræi , aut manipularij quidam milites nō milites , graſſatores nocturni , infelices humani generis Alastores , filij Beliāal (i. absque profeſtu) ut loquitur ſcriptura , qui jugum omne perfregere , qui pietatis , honestatis , pudoris ſepta omnia perrupere . Putant enim inertes & male feriatos plurimos ad hoc tantum natos , ad hoc ſtudiis initiatos , ut ingenioſe nequiores ſint , ut majori cum decore & lepore vanitatem & ſtultitiam ſuam ſapientiæ larvâ teatam mundo propinent , ut parentum bona magno labore , frugalitate & paſtimoniâ olim benè parta , quam breviſſimo tempore abliguriant ; & pro tot expenſis , poſt multam expectationem domum nihil referant , quam vanitatem , ſuperbiā , dicacitatem , petulantiam , prodigalitatem , & omnis generis intemperantiam ; quippe qui jam omnem religionem , omnem honestatem , omnem humanitatem probè edidicerint (ſi non ejurârint) factique ſint , non ex belluis homines , ſed ex hominibus belluæ , aut ſocij Elpenoris , Epicuri de grege porci , neſcio quibus Circæis poculis Maſſonati . Non dicam nunc quo jure aut injuria homines nonnulli in illam opinionem delati ſint , nec tempus fert ulterius & ex professo illa conſectari ; diſſimulare tamen non poſsum dolorem & metum ,

GISBERTI VOETII.

*Qui nunc me coquit & versat sub pectore fixus.*

Quem dices? Nimis metuo, ne Deus pertæsus  
ingratitudinis & securitatis, multis studiosis &  
literatis aptaturus sit tristissimam querelam,  
quam de Proceribus & Magistratibus effundit

*Propheta: Quam obrem ego dicebam, utique tenues  
Ierem. 5. sunt isti: Stulte agunt, quia ignorant viam Iehovæ,  
v. 4. 5. 6. jus Dei sui. Ibo ad Magnates ipsos, ut alloquar ipsos:  
nam ipsi nōrunt viam Iehovæ, jus Dei sui: at ipsi pari-  
ter fregerunt jugum, diruperunt vincula. Idcirco per-  
cutiet eos leo è sylvis, lupus & fætius & astabit eos.  
pardus observabit ad civitates eorum &c.*

Quid quæso animus meus, si maximè vellet,  
melius ominari posset de illis, qui cum Deo, soli  
suo, coelestis caloris fonti propriores sint per  
tranquillum studiorum otium, per assiduam con-  
templationum elevationem, qui etiam rectæ &  
fortiori radiorum reflexioni magis objecti, non  
aliter tamen torpent ac frigida illa nivis & gla-  
ciei patria, ubi ante annos aliquot Argonautæ  
Batavi multorum mensium noctem in tugurio  
suo transsegere: Quibus tanti non est pedem sa-  
crorum causa movere, aut digitum tollere; qui-  
bus vile & abjectum nimis cum fece imperitæ  
plebis scilicet, exercitiis pietatis domesticis ac  
privatis assuefieri, conciones sedulò frequenta-  
re, ecclesiæ, hoc est, caelesti civitati immatricula-  
ri, ne unquam desinat impleri querela Augustini  
in con-

O R A T I O.

in confessionibus. *Ecce indocti surgunt & cælum rapiunt, & nos cum nostris disputationibus in carne & sanguine volutamur.* Sed meliora de vobis & saluti adhærentia persuasi sumus, lectissimi auditores, ideo etiam majori sermonis libertate apud vos utimur. Vos itaque appello Themidos *ad juris studiosos.* *cerdotes, juris & æqui studiosi, mox arbitri & moderatores futuri;* vobis saltem insideat, illud, quod in vestibulo Institutionem vel transeuntes legant: *Iuris præcepta hæc sunt, honestè vivere, alterum non lädere, suum cuique tribuere.* Quæ cum auditis & legitis, ne cogitate tantum de finibus herciscundis, de hereditate dividendâ, de stillicidij fluxu, de cloacæ ductu, deque aliis sæpe sor didis & tenuibus disceptionibus, sed etiam de juris & justitiæ fontibus, caritate scilicet & pietate in Deum, cuius reverberatio & reflexio est caritas in proximum tanquam imaginem Dei. Altiori mentis consideratione evolvite titulum de Trinitate, aliasque divinas de Religione & pietate benè constituendâ atq; observandâ sanctiones Codici vestro & Novellis insparsas, quibus Deum patrum vestrorum colendum, pietatem sacratissimorum Imperatorum imitandam dum aliis præscribitis, ipsi certè immunes aut *σομελοι* esse nec vultis, nec debetis; ne vos induatis telis illis Apostoli, quæ in vestri Ordinis homines olim emisit: *Qua propter, inquit, inexcusabilis*

G I S B E R T I V O E T I I

bilis es, ô homo, quisquis judicas, nam hoc ipso, quod judicas alterum, ipsisum condemnas, eadem enim facis,  
*Rom. 2.* qui judicas &c. Cogitas autem hoc, ô homo, qui dannas eos, qui talia faciunt, & facis ea, fore, ut effugias judicium Dei. Quid juvat omnes legum anfractus, omnia ~~euārnoφαν~~ multâ indagine scrutari, crebris disputationibus vexare, si animi vestri recessus non pervestigatis, si propriæ vitæ spatia, atque ambulacula non metimini, si pugnantibus affectuum, cupiditatumque reciprocationes ad normam divini juris non componitis, si Deo debitum honorem, immò si vos totos ex lege iustitiæ ipsi non tribuitis. Duplicem salem scientiæ scilicet & conscientiæ in judice suo requirit Magnus aliquis juris Antecessor. Utroque sale in Academico cursu mature vos confspargi ipsa studij ratio & natura postulat, ut fidei, pietatis, integritatis vestræ specimine ibi exhibito, facilius ac tutius ex pulvere scholastico in ipsum præfecturarum & judiciorum solem evocati, *judicium habeatis Deo & non hominibus*, ex formulâ piissimi regis Iosaphati. Iuvenem ab auditione Politicæ removendum disputat Philosophorum aquila, naturę miraculum Aristoteles, *ἀληθείᾳ* id est *propter perturbationem* inquit. Nolo cū quibusdam vellicare hanc sententiam, sed crediderim potius, Philosophum cum hæc differeret, in animo habuisse, non juventutem, sed juvenes  
*2 Para.*  
*19.* scele-

## O R A T I O.

sceleribus ac flagitiis coopertos, aut stultis cupiditatibus agitatos, interdiu cū coronā ebrios, atq; adeò juventutis pestes, vulgi fabulas, archetonicæ disciplinæ (sic vocat Politicam) dehonestamenta, mundi dedecora. Absit ut raciocinatio ipsius in vos conveniat, Christiani & studiosi juvenes, quibus elogium illud Apostoli appetare gestimus: *Scribo vobis adolescentes, quoniam improbum illum viciſtis.* Et scripsi *vobis adolescentes, quia validi estis, & verbum Dei habitat in vobis,*<sup>1. Job. 2.</sup> *& improbum illum viciſtis.* Deus vos omnes Christianis & honestis, non paucos literatis, aut nobilibus parentibus nasci voluit, præterea talibus studiis & sacris initiari, ut supra communem hominum fortem vos evehernet, semperque suspperteret divina aliqua seges, undè Reipublicæ in posterum abundè provideri posset. Quin ergo Dei singularem erga vos benignitatem grato animo agnoscitis? quin omnibus pietatis officiis ad tam sublime, tamq; arduum munus vos præparatis? *Ars artium est & scientia scientiarum hominem regerere ac moderari, animantium omnium versutissimum & maximè varium,* ut recte Nazianze-<sup>In Apolo-</sup>get.  
 nus; & meritò quis exclamet hic cum Apostolo:  
*Quis ad hæc idoneus?* Reges vocat διάλεφας i. à Iove nutritos sapientissimus poëtarum Homerus: absque hoc desperandum esset iis, quibus tam ardua regiminis & judiciorum provincia imposita est.

Vide-

Videtis, quantam cū Deo familiaritatem, quantum apud ipsum πάρησιαν resipiscentiā, fide, precibus, aliisque assiduis fidei & caritatis actibus sibi parare debeant omnes, qui certis passibus ad fastigium hoc enituntur, quos custodia utriusque tabulæ, quos Regia sacrorum cura, hoc est, Politica circa Ecclesiam, & res ecclesiasticas, potestas aliquando exceptura est, siquidem Politicis doctoribus ulla fides. Scimus illuni illâ nocte; quæ ante exortum reformationis diem, plerisq; Occidentis ecclesiis incubuit, in negotio religinis & pietatis infame pænè factum esse nomen Politicorum, & Iurisconsultorum, cum per ora hominum passim volitarent isto dictorio: *Bonus Jurista, malus Christianus.* Sed nos haut vanis rationibus ducti suspicamur non propter Atheismum, aut Epicureismū, aut sacrorum verè Christianorum contemptum ordini illi tunc adhaerentem dictorio illo notatos fuisse Politicos & Iurisconsultos, sed potius ob religionis meliorrem curam, ob libertatis potestatisque ecclesiasticæ & Politicæ animosam defensionem contra usurpationem eorum, quos minimè decebat, idq; ex juris divini, antiqui ecclesiastici, & civilis Romani præscripto. Quicquid sit de origine & occasione illius dictorij, docuerunt feliora reformationis tempora, nulos magis ad pietatem capeffendam, nulos ad vindicandam & propagandam

## O R A T I O.

gandam idoneos, quam veros Politicos & Iuris-  
consultos, quod abunde testantur exempla Bu-  
genhagij Pomerani, Theodori Bezae, Anthonij  
Sadeelis, Bonaventuræ Cornelij Bertrami, im-  
primis profundissimi ac piissimi ex Iurisconsulto  
Theologi Iohannis Calvini, quorum nomina &  
labores apud veros piosque rerum æstimatores  
in sempiternâ sunt eruntque benedictione. Quid  
dicam de Iurisconsultis aut Politicis, qui in vo-  
catione suâ persistentes, pietatis ac religionis  
vexillum vel ipsis pastoribus, ex professo sacra  
tractantibus, erigere potuerunt? quales Andre-  
as Gorrutius, Innocentius Gentiletus, Franciscus  
Hotomannus, Ioachimus Vadianus Consul San-  
gallenfis, & Syndicus ille Noribergensis, qui  
sub nomine Leidhresseri tam præclara in Theo-  
logiâ monumenta edidit. Præterea nobilissimi  
Philippus Mornæus Plessiaci dominus, Philip-  
pus Marnixius montis Sanct-Aldegondij domi-  
nus; Nobiles Ottho Grunradius, & qui etiam-  
num nunc vivit & scribit in Angliâ Humfredus  
Linde Eques, Iohannes item Haiwardus Anglus  
I.C.<sup>tus</sup> devotissimi illius libelli author, qui titulo  
*Sanctuarij turbatæ seu afflictæ animæ*, non tantum  
Anglicè sed & Belgicè nunc prostat. Nec præ-  
tereundi Iurisconsulti qui literis & studiis sacris  
lumen intulere, Conradus Heresbachius, Con-  
radus Ritterhusius, Iohannes Seldenus, Cristo-

G phorus

G I S B E R T I V O E T T I I

phorus Iustellus, Desiderius Heraldus, & novum illud sydus, quod nuper Belgio nostro illuxit, Claudio Salmasius; quibus merito accensendus, quamvis Pontificias partes nunquam aperte deseruerit; celeberrimus Andreas Masius I. C. & Ducis Cliviæ consiliarius. His omnibus si addas tot constantes Christi martyres, tot animosos confessores, tot Ecclesiæ & Reipublicæ columnas, quas ordo hic mundo exhibuit, videbunt utiq; Iuris & Politices studiosi, se amplà sati domesticorū testiū nube circūfusos, quo propositū pietatis stadiū alacrius & felicius decurrat.

*ad Belof. Fano/ob.*  
*et medicis/ob.*  
Vos etiam appello, mei Philosophi, Theologiam nostram proximo cognitionis gradu attin- gentes, de quibus semper professus sum & porro profitebor illud celebris Philosophi Iacobi Sciegkij Schorndorfensis: *Ego quidem sic iudico, tum demum fore beatas ecclesias, si veri Philosophi dent operam Theologiae, aut Theologi philosophentur pie.* Vos itidem philosophorum propago Medici, (si quidem ubi physicus desinit ibi Medicus incipit, teste Philosopho.) Vos mihi testes eritis, nullam studij vestri partem esse, quæ mentem per scalas rerum creatarum ad superna non elevet, quæ per causarum investigationem ad primam omnium causam, ad primum Aristotelis Moto rem, ad universi hujus centrum, ad rerum omniū authorem & finem non deducat; *Si forte palpan- do eum*

O R A T I O.

*do eum invenire possent : non longè enim abest ab uno-  
quoque nostrum, in ipso vivimus, movemur, & sumus,*  
ut ex mediâ Philosophiâ Athenis apud Philo-  
phos differebat Apostolus. Philosophiam de-  
scribunt vulgò, *rerum divinarum, humanarumque  
cognitionem*; Plato, *mortis meditationem*, alij aliter.  
Nemo est paulo sanior, qui ad mundi contem-  
ptum, ad cœlestium meditationem, ad numinis  
reverentiam, ad sacrorum observationem, vel  
ipso nomine, nendum studio Philosophiæ se quasi  
pulcherrimâ occasione invitari non animadver-  
tat. Quotiescunque enim de mundi materiâ &  
formâ, de universi theatro, de homine μηρούσιῳ  
ac totius universi compendio, de cometis, ventis,  
fulmine, aliisque meteoris, philosophatur; quo-  
tiescunque cœlorum & superiorum atque infe-  
riorum harmoniam Davidicam, non Pythagori-  
cam, attentâ aure percipit, quomodo contineré  
se poterit, quin se aliosque homines in eodem  
speculo intueatur, & ad eandem imaginem trā-  
formetur? juxta illud Boëthij:

*Si vestros animos amor,*

*Quo cœlum regitur, regat :*

Quomodo cum Davide non exclamabit: *Cum  
respicio cœlos tuos, opus digitorum tuorum ; lunam &*  
*stellas, quas statuisti : Quid est mortalis quod memor sis  
eius ? aut filius hominis quod visites eum ? Cœlum, in-  
quit Augustinus, & terra, & omnia, quæ in iis sunt no-*

G I S B E R T I . V O E T I I

*Libr. 2. de cœsant mihi dicere, ut amem dominum meum. Hugo  
arcâ Mo- de S. Victore trinam facit omnium creaturarum  
rati cap. 4.*

vocem, accipe, redde, fuge; accipe scilicet beneficium, redde officium, fuge supplicium. Quam multæ ac præclaræ Ethnicorum voces, tanquam Miltiadis trophæa, philosophos nostros dormire non sinunt, quas infinitum esset hic recensere? Quid? quod ipsi Galeno, qui ab Atheismo tantumdem abfuit, ex invito pectore veritas illa erupit:

*Libr. 3. de  
usu part.* *Sacrum hunc sermonem, inquit, ut verum hymnum conditori nostro compono, & hunc verum esse ipsius cultum statuo, non si taurorum hecatombas multas ei sacrificaverim, aut unguenta multa, aut cassias adleverim: Sed si tum ipse cognoverim, tum etiam aliis exposuerim, quanta sit ejus sapientia, quanta vis, quanta bonitas. Sed frænum injiciendum huic alloquio: Si enim scholam & librum naturæ aperire, si folia omnia volvere, si voces omnium creaturarum proprius exaudire liberet, utiq; initium facilius quam exitum inventura esset nostra oratio. De practicâ Philosophiæ parte non est quod addam: tota enim illa aut manca est, aut merè Theologica; prout eam Theologiæ partem faciunt nonnulli, alij nobiliores aliquot ejus materias quasi Ostracismo ex Republicâ Philosophicâ ejectas ad Theologiam relegant, alij et si antiquâ possessione omnes non moveant, ex scripturâ tamen & Theologiâ supplementum atque*

atque ornatum earum querunt, in quo egregiam operam inter alios præstitere laudatissimi viri Iohannes Althusius I.C. in Ethicâ, Politicâ, & Jurisprudentiâ seu dicaiologiâ suâ, Lambertus Danæus Theologus in Ethicâ & Politicâ Christianâ. Hæc itaque Philosophia, quam è cœlo in terram deduxisse dicebatur Socrates, quam Theologi, Iurisconsulti, Literatores, Historici, Poëtæ, hoc est plerique studiosi imprimis excollunt, hæc inquam vel sola animos omnium à terrenis fôrdibus abducere, ad sanctioris vitæ meditationem, ad pietatis honestatisque officia inflammare debebat. Hæc omnes sane Nominalium sectæ valedicere, & in Realium castra concedere compelleret, ne amplius eveniat ipsis quod antiquis Philosophis, quos barbâ, Pallio, & grandiloquâ sententiarum aliquot pompâ tantū superbientes, scenis & Satyris omnibus agitatos legimus; quorum etiam elogium exstat apud Agellium: *Odi hominem ignavâ operâ & philosophâ sententiâ, & apud Hieronymum? Quod fuerint animalia gloria & popularis auræ mancipia.*

Nec innominati mihi abibitis vos linguarum, Poëticæ, Oratoriæ, Historiarum atque antiquitatum, &, quæ omnibus ancillatur, utriusque Criticæ studiosi. Omnia ad minimos literarum apices judicatis, Critici, cum Hebræorum priscis sapientibus *Sopherim* id est numeratores pene

*ad Criticos.*

dicendi, dum bonorum authorum, voculas, syllabas, literas numerando, expendendo, expungendo transitis non rarò otiosā atque odiosā operā; dum pro calidis & audacibus vestris conjecturis si non cruenta saltem atramētaria prœlia cum sociis sine fine sine modo miscetis, quasi de salute populi Romani ageretur; dum ex ingenio absque libris M. SS. ad ingenium vestrum sæpè loqui cogitis bonos authores in equuleo quasi extensos. Decerpite quæso aliquid temporis, quod inquirēdē religioni, quod dijudicandæ conscientiæ vestræ impendatis. Dispungite vitia vestra, emendate corruptos animi affectus, ex Codice illo venerandæ antiquitatis, si quisquam, varias lectiones annotate, cum illo vitæ vestræ periodos, conditiones, actiones omnes diligenter conferte. Nunquam certè hujus operæ vos pænitibet. Scio ex ordine vestro cascos criticos obsoletis matris Evandri vocibus venandis, Martiale, Petronio, Apuleio, & similibus exponendis, benè aut malè positis expungendis ita se totos devovisse, ut nullas horas pejus collocatas putârint, quam quas legendæ S. Scripturæ impendissent: quod de Domitio Calderino & Angelo Politiano refert Ludovicus Vi ves; simile quid habet author vitæ impuri illius Gasparis Scioppij, quod lectionem Plauti Lectioni S. Scripturæ prætulerit. Sed quibus contem platio-

O R A T I O .

plationibus boni illi Critici ætatem trivere? disceptādo scilicet an legēdū esset *Virgilus*, an verò *Vergilius Carthaginensis*, an *Carthaginensis preimus*, an *primus & similibus nō canoris sed stridulis*, & plus quam trivialibus nugis; immò, quod pejus est, exponēdis Priapeis, & ad ea scurrilibus emēdationibus, flagitiosis commētationibus, ex plenitudine impurissimi pectoris procudendis, quo nomine Calderinus, & Politianus à Ludovico Vive, & Scioppius (Munsterus Hypobolimæus) à Satyrâ Menippæa coram toto eruditorum theatro stigmatiæ facti sunt.

*O curvæ in terris animæ & cælestium inanes!* præ illis quisquiliis, præ illis Diaboli stercoribus fordebunt vobis castæ illæ scripturarum deliciæ (ut Augustinus appellat) verè nectar & ambrosia, omnis eruditionis Oceanus, omnis eloquentiæ myrothecium, omnium artium, omnium antiquitatum penus, omnium studiorum cos & lima, architecta & amussis, principium & finis?

Vos etiam adeste poëtarum filij, quorum images lambunt hederæ sequaces, quos præmia illa doctarum frontium DIs superis miscere dicuntur, ornate capita vestra amaranthinâ pietatis coronâ, à Deo carminis vestri fiat exordium, hic terminus esto, hunc veniente die, hunc decedente canite. Ne patiamini, ut miseri gentiles palmam pietatis ( si modo pietatis) vobis præripiant

G I S B E R T I V O E T I I

piant. Auditis apud illos à DIs suis, à Iove Deorum patre principium ubique duci,

— O θεον σένο, canit Theognis

Δημητρας δε χόμην ουδ' αποπανόμην.

*Id est, Nunquam tui Obliviscar incipiens, neq; definens.*

Quid Arati, Ovidij, Hesiodi, aliorumque exordia , quid Orpheo , Callimachum , similesque hymnorum scriptores, quid Poëticę perpetua super his præcepta memorem ? Antiqui poëtæ Theologi dicti sunt , quod ab illis præcepta reetè vivendi, ab illis pietatem in Deos, ab illis sacerorum ritus, ab illis divinorum scientiam petere solerent homines: adeò ut monstri instar tunc fuisset poëta , hoc est publicus populi doctor & antecessor, absq; religione absque pietate. Hinc etiam sequioribus sæculis gloriari audet Poëta aliquis : (pænes ipsum fides sit)

*Horatius.*

— D I s p i e t a s m e a

*Et Musa cordi est.* —

Tam individuo nexu poësis & pietas conjuncta esse, aut saltem debere esse credebantur. Si Christianos poëtas respicio, næ illi suo exemplo docuerunt Gentilium poësin tanquam vasa Ægyptijs erepta in usum tabernaculi optimè posse converti , & disciplinā pietatis explicandā, divinis laudibus pangēdis felicissimè occupari. Prostant etiamnum Apollinaris, Nazianzeni, Synesij, Non-

sij Nonni Panopolitæ, Prudentij, Prospeti, Paulini, Boëthij, Sedulij, Iuvenci, Aratoris, Probae Falconiæ Poëmata, quæ, quod dico, abundè testabuntur. Nec puto poëtis recentioribus veniam poëticam plane exaruisse, si qui inter tot vanitatis sectatores, tot Veneris nepulos, tot stultos nugigerulos, tot infames & scuriles sive poëtas sive poëtastris Gentilium improbitatem, prophanitatem, superstitionem, Idololatriam, lasciviam, licentiam, unâ cum phrasibus, formulis, & flosculis in poëma suum, atque adeo in teneros adolescentum animos ineptissimo imitationis genere non traduxerint, aut morum corruptelas strenue à se exercitas ficalneo & mendaci hoc schemate non velârint:

*Lasciva est nobis pagina, vita proba.*

Tales Poëtas imitamini, ornatissimi auditores, si qui divinæ hujus artis studio flagratis, cum paucioribus sapite potius, quam ut cum pluribus severo illi judicio vos obnoxios reddatis: *Si quis Jacob. 1. videtur religiosus esse in vobis, non refranans lin. 26.* gum suam, sed seducens cor suum, hujus vana est re<sup>Math. 12.</sup> ligio. *Et omne verbum otiosum, quod locuti fuerint ho. 36.* mines, reddent de eo rationem in die iudicij. Ne Apollo, hoc est, genius & facultas poëtica Christū vobis de pectore excutiat, ne laudata alioquin poëeos exercitatio impedit illud, quod ante omnia commendat Apostolus: *Exerce te ad pietatem.*

G I S S E R T I A V O E T I I

tem. Hoc uno opus est: hoc discamus, hoc agamus. Discamus ea in terris, quorum scientia nobis perseveret in cœlis, ut divinè monet Hieronymus. Mundis perit & concupiscentia ejus, poematum lepos transibit, suavitas & gratia sordebit, gloria evanescet aliquando, quicquid de æternitate sibi polliceatur Pelignus Metamorphoseon Rhapsodus, *Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignes, nec poterit ferrum &c.* Christiani redempti Christi sanguine, insigniti Dei imagine, obsignati ipsius spiritu, novo fœderi initiati, ut linguis loquuntur novis, ita & canticum agni, canticum novum canunt, præludium cœlestis & æterni illius cantici, quo cœlestem Ierusalem resonare audiuntur sunt, quotquot ad huptas agni vocati fuerint.

Vos etiā obtestor Oratores, memores fitis, quo fine divinam suadæ medullam & facultatem Dei Opt. Max. benignitas vobis contulerit; ut pietatem scilicet & virtutem primum vobis ipsis, deinde & aliis persuadeatis. Ne fallite animum vestrum inani pithanologiâ; ne putetis hoc sufficere, ut de virtutibus & vitiis, de rebus præclarè gestis aut getendis aptè & composite dicentes aliorum aures Socratis sermonibus impletatis, ipsi interim vitiis vestris securè indormiatis. *Mores dicentis persuadent, non oratio.* Quin potius vitæ melioris exordium & conclusionem, animi vestri in omni opere bono confirmationem,

## O R A T I O.

nem, omnes mortalitatis & peregrinationis vestræ periodos; omnium officiorum erga Deum & proximum dispositionem, omnes virtutum figuræ & flosculos, omnem inculpatæ conscientię & conversationis vestræ exornationem, omne decoræ & flexanimæ actionis choragium penitissimâ adhibitâ consideratione expendite, ut Deo & hominibus vos approbetis.

Vos Historiarum & antiquitatū studiosi aures arrigite. An non ars & methodus Historica sugggerit vobis, historias alias esse naturales, alias humanas, alias divinas? Iam vero Historię divine recta & cōpendio ad Deum deducunt, naturales per circuitum ad naturæ authorem. Quod Æneas apud poëtam de relatione excidij Trojani, id nos justius de historiis divinis, de naturæ miraculis, de Historiâ Medicâ mirabili dicere possumus,

— *Quis talia fando &c.*

*Temperet à lachrymis,*

Quis Deum instar leonis rugientem, & judicia sua intonantem audiet, & non timebit? quis infera supera commota & quasi sedibus suis avulsa leget, & non commovebitur?

— *An te genitor, cum fulmina torqueas*

*Nequidquam horremus, cæcique in nubibus ignes*

*Terrificant animos, & inania murmura miscent?*

Sed mittamus nunc historiam divinam, natura-

H 2 lem,

*ad Historiarum  
et Antiquitatis tractat.*

G I S B E R T I V O E T I I

Iem, Ecclesiasticam, universalem denique omnium æstatum & gentium: ingenium & ambitio nostra ultra Romani Imperij in ~~æxun~~ constituti, superioris item & nostri seculi Historiam se non extendat. An non occasiones & incitamenta ad pietatem abundè ibi subministrantur, siquidem ea quærimus? An nihil in usum nostrum decerpemus, nihil prudentiæ & conscientiæ nostræ apponemus, ubi Dei sapientiam, potentiam, justitiam, clementiam circa Imperiorum ortus, occasus, fatales periodos, in bonorum remuneratione, in malorum pœnis tanquam in speculo contemplamur? ubi singulæ narrationes & narrationum pericopæ undique inclamant,

*Discite justitiam moniti, & non temnere Divos?*

Quasi scilicet hoc esset studij historici fastigium veteres aliquot nummos, columnarum fragmina, semesa epitaphia, dispersa rudera, mortuorum busta, loca ac ligna infelia, mensas & triclinia, aleas & talos, calceos & pileos & cinctorum Cethegorum femoralia, fora & porticus, delubra & theatra, matulas denique, (honos sit auribus) cloacas & fornices Romanorum perreptare: ipsos vero divinæ providentiæ progressus ac circumvolutiones, immo ne quidem summorum virorum æternæ laudis & memorandæ virtutis illustria documenta animadvertere, & ad animi sui ædificationem convertere. Puerorum est historialos

## O R A T I O.

storialos aliquot aut fabellas memorię mandare,  
 tantum ut in cōviviis , in circulis,in ambulacris,  
 aut tempore brumali ad focum eas depromant,  
 & risum atque admirationem apud sui similes  
 captent. Altius & majus quid à studiosis , à vi-  
 ris politicis , à patriciis , à nobilibus requiritur,  
 præsertim qui reditibus suis gaudentes procul à  
 curis, à strepitu, à publicis muneribus,totos se hi-  
 storico otio devoverunt. Illis sane ante omnes  
 convenit non tantum primitias,sed & maximam  
 beati otij sui messem Deo suo , publicis pietatis  
 exercitiis, privatæ scripturarum lectioni , medita-  
 tionibus, precibus consecrare. Si enim omni-  
 bus hominibus,quamvis occupatissimis,vitæ cō-  
 templativæ & asceticæ cura incumbit , quanto  
 magis iis, quibus Deus hæc otia fecit. Verè illi  
 sunt nobiles, verè patricij, instar Berœnsium re-  
 liquis *εὐγενέσεωι*, herōū genus , gens electa, populus  
 acquisitionis , Dei progenies qui spretis terræ fi-  
 liis, terræ inscriptis, terrenisque omnibus impe-  
 dimentis inoffenso cursu , generoso conatu ad  
 cœlestis hæreditatis brabejum contendunt. Illi  
 certe minimè fucatis insignibus familiæ & civi-  
 tatis suæ jus antiquissimum arcescunt ab incor-  
 poratione & concorporatione (detur venia tech-  
 nologemati) in Christo & cū Christo, à quo om-  
 nis cognatio nominatur in cœlo & in terrâ ; ab  
 adoptione in filios altissimi , ab inscriptione in

cœlis, in libro vitæ, in manu Dei ante tempora  
sæcularia, ante jacta mundi fundamenta. Si qui  
nobiles, si qui Politici, si qui patricij antiquita-  
tum suarum, præterea unius atque alterius sæcu-  
li tantum studiosi, æternitatem & cœlum, Deum  
& Christum, unde herōū genus, Deorum genea-  
logia deducitur, aut ignorant aut post habent, ni-  
hilque aliud possunt ac volunt, quam

— *Pictos ostendere vultus*

*Majorum & stantes in curribus AEmilianos;*

Illis ego aliud nunc non reponam, quam dictum  
B. Ambrosij, qui ex nobili & præfecto Politico

*factus Episcopus* sic ait: *Quid te jactas de nobilita-  
tute Isra-  
elitis cap.  
13.* *tis prosapia? soletis & canum vestrorum nobilitatem  
sicur consulum prædicare.* Ille ex illo patre generatus

*est, & illâ matre editus: ille ayo illo gaudet, illis se pro-  
avis attollit: Sed nihil istud currentem juvat. Non da-  
tur nobilitati palma sed cursui. Deformior est vultus,  
in quo & nobilitas generis periclitatur. Cave igitur di-  
ves ne in te erubescant tuorum merita majorum.* Addo

*Tom. 4. de  
Nobilitate* & alterum Iohannis Gerson celeberrimi suo sæ-  
culo Doctoris Parisiensis: *Nobilitas, inquit, he-  
roica homini proveniens ex supernaturali gratia, per  
quam homo fit per adoptionem filius Dei, fit sponsa Chri-  
sti, fit templum Spiritus Sancti: sine quâ nobilitates ca-  
teræ nihil sunt, nihil proficiunt. Obsunt potius aliquā-  
do. Quia quod altum est hominibus, abominatio est a-  
pud Deum.*

Ad

O R A T I O.

Ad vos nunc me converto Theologi, cœlestis  
 Philosophiæ, juris divini, spiritualis Medecinæ,  
 sacrarum literarum, antiquissimæ & authenticæ  
 historiæ, sublimis eloquentiæ studiosi, studiorum  
 & studiosorū omniū basis & fastigiū, compediū &  
 perfectio, regula & amissis, currus Israelis & e-  
 quites ejus. Quibus potissimū rationū pôderibus  
 & momentis corda vestra nunc impellam, cū tot  
 occasiones salutis, tot stimuli virtutū, tot media  
 pietatis, ex quâcunque studij vestri parte quoti-  
 die se ingerant? Omnes enim contemplationes,  
 omnes collationes, omnes disputationes, omnia  
 concionum, omnia curæ ecclesiasticæ progym-  
 nasmata, omnis dogmatica seu positiva, omnis e-  
 lenctica, omnis ascetica, omnis mystica, omnis  
 textualis, omnis historica atque Ecclesiastica,  
 omnis philosophica seu Scholastica Theologia  
 (si ita loqui liceat) omnes partes, omnes modi,  
 omnes gradus in uno Dei cultu conspirant, ad u-  
 nicum illum scopum tendunt: Quin ipsi libroru  
m vestrorum tituli, ipsa involucra & terga, ipsi au-  
ditorium & museorum parietes, ipsa sonant ar-  
busta Deus, Deus ille. Vos ipsos modo intuemini:  
 quid aliud estis quam veri Rechabitæ, quam  
 Naziræi Dei candidiores lacte, rubicundiores  
 margaritis, quam sal terræ, quam lux mundi, qui  
 omnibus aliis Musarum cultoribus ad pietatem,  
 honestatem, continentiam, modestiam præluce-  
 re de-

ad *geologie*  
*studiosi.*

G I S B E R T I V O E T I I

re debitū? Quām turpe esset, si vos qui studiorum sapientiæ & Gymnasiū nostri sanitas estis & quintessentia, ita loquar, reliquos studiosos contagio & contactu immundo fœdare, & per nefarium prodīctionem carni ac mundo portas aperire, & diabolo miseras animarum hostias, quasi diaboli sacerdotes essetis, consecrare unquam videremus. Iam pridem alibi sanctissimi hujus ordinis studiosi aliquot magnā infamiā laborāt, & nimis metuo ne ex parte verum sit, quod in castris mundi primipili sint, quod vanitatū vexilliferi, quod ignaviæ & socordiæ antesignani, quod cum nihil præclari agere ipsi possint, ne alios quidem sui ordinis aliarumque artium & facultatum studiosos quidquam agere sinant, quod in pietatis exercitiis postremi in ludicris primi, quod in comedationibus & compotationibus antecessores, in cursitationibus ductores, quod vitiorum proxenetæ, virtutum inexperti, pietatis irrisores, breviter non tam Antichristi quam ingruentis epicureismi & libertinismi præcursorres. O infelices scholæ, quæ malis illis geniis infestantur! o infelices Pastores & Professores, qui tamdiu in vanum vires suas consumunt & margaritas porcis illis objiciunt! O infeliores parentes, qui cludas, mutilas & scabiosas ejusmodi pecudes Deo suo offerunt, ut animas scilicet eorum duplici tormento in gehennā mactandas tradant,

O R A T I O.

tradant, quasi damnatio simplex ad miseriam nō sufficeret! Nihil enim aliud præparatione suâ ad ministerium faciunt, quam Deum docent quomodo ipsos debeat damnare, ut de profanis ministris nonnemo ex Veteribus loquitur. Certè si tales Theologiæ candidatos coloribus suis depingere nunc liberet, dicerem esse mundanos cœlites, profanos sacerdotes, canonicos irregulares, spirituales de hoc sæculo, totos carnem & sanguinem, totos ventrem & escam, totos abdomen & ampullam, telluris inutilia pondera, scholarum & ecclesiarum gravamina, ordinis sui carcinomata, fundi Ecclesiastici calamitatem, bonorū dolorem, malevalorum gaudium, domesticorum pudorem, extraneorum dipterium, parentū confusionem, Fautorum & Mecœnatum fastidium, disciplinæ ecclesiasticæ perpetuum objectum, dignissimas remorum hostias, ergasteriorum cœdidos, ut inter socios Raspini, intercalaribus feriis illud suum aut bibe aut abi ingeminent; & alterum:

*Da puer accensum selecto fistile pæto,  
Ut Phœbum ore bibam,*

Ita saltem sanctissimum ordinem impurissimo vomitu suo non conspurcarent. Vtinam Ecclesiæ omnes earumque antecessores & vigiles, utinam Christiani Magistratus zelo domus Dei flagrantes unâ volūtate unâ operâ mali istius principiis

G I S B E R T I V O E T I I

cipiis obstante! Utinam indignos tam venerando titulo, tam sublimi studio, maturè ex albo Theologorum expungerent, & aliis melioribus, qui sàpe propter res angustas domi emergere non possunt, locum ipsorum concederent! Inter ea dum auxilia & remedia illa exspectantur, exergiscimini vos, ô Theologiæ studiosi, qui primi in castris Theologicis militatum in Gymnasium hoc nostrum pedem intulisti. Liberate quæso nomè nostrum & ordinem à prebro & gliscente infamiâ, date specimen piæ eruditioñis & eruditè pietatis, nemo vobis coronâ hanc preripiat; vos primi verbis, factis, studiis, omni denique conversatione vestrâ delineate atque exprimate vivam veramque Theologi imaginem, ad quam ut exemplar pulcherrimum omnes, qui in posterū ad Gymnasium hoc venturi sunt, promtè & alariter se componant: Audite Apostolum:

- 1 Timoth. 4. v. 12.* *Nemo tuam juventutem contemnat, sed esto exemplar fidelium in sermone, in conversatione, in caritate, in spiritu, in fide, in castitate &c. Intentus esto lectioni, exhortationi, doctrinae &c. Hæc meditare, in his esto: ut tuus profectus manifestus sit inter omnes.*
- In serm. ad fr. in Sy nod. con greg.* *Ad opera vos invito maximè, qui pastores estis animarum, qui alios non debetis destruere, sed instruere. Vos, inquam, maximè, quia soli perire non potestis, qui præire debetis*

O R A T I O.

debetis docendo & operando. Multi sunt Catholici prædicando, qui hæretici sunt operando. Quod hæretici faciebant per prava dogmata, hoc faciunt hodie plures per mala exempla. Seducunt scilicet populum & inducunt in errorem, & tanto graviores sunt hæretici, quanto prævalent opera verbis. Hactenus Bernardus. Hoc ergo agite quantum in vobis est, ne superioris ævi tabem & labem, ne profanitatis, inertiæ, ignorantiae illius recidivam unquam patiatur Ecclesia, cum in proverbiū abiisset, *Fides laicorum optima; & sacerdotum otium.* Et, *Monachorum stomachi pocula Bacchi;* cum teneret argumentum tam de materiâ quam de formâ: *Hic frater est ergo mendax;* cumque Apollinis oraculum non magis verū esset quam illud: *Monacho indoctior;* cumque diabolus tres diceretur Clericis elocasse filias, superbiam, gulam, avaritiam; cum ex trecentis candidatis, qui ad ordines Ecclesiasticos offerebantur, tres tantum reciperet David Burgundus Philippi Boni filius Episcopus *Utrechtinus* reliquis omnibus repulsis tanquam indignis, ut refert Erasmus; cum de amaritudine suâ, amarâ in nece martyrum, amariori in conflictu hæreticorum, amarissimâ in moribus domesticorum (Clericorum scilicet) conqueri congeretur Ecclesia apud Bernardum. *Serpit hodiè,* inquit, *putida tabes per omne corpus Ecclesiae,* & quo latius eo desperatius, eoque periculosius quo interius.

*In Ecclesiaste.*

## G I S B E R T I V O E T I I

Nam si insurgeret aperte inimicus, mitteretur foras & aresceret : si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc vero quem ejiciet ? aut a quo abscondet se ? Omnes amici & omnes inimici, omnes necessarij & omnes domestici, & nulli pacifici, omnes proximi & omnes quæ sua sunt quarunt : ministri Christi sunt & serviunt Antichristo. Fateor quidem Ornatiissimi auditores, tantis malis nos non urgeri, pro quo est quod gratias agamus Deo Ecclesiæ suæ Reformatori & protectori. Sed nemo inficias ibit, abundantem cautelam non nocere & semper tutius esse tympani sonitu aut igniti meteori ostento, aut tormenti bellici displosione procul sistere, atque arcere hostem etiam dubium an te petiturus sit, quam cominus ad fossas aut antenuralia incertâ belli aleâ impetum ejus experiri ac sustentare. Vos iterum iterumq; compello prophetarum filij, sacro sancti ministerij candidati, lapides pretiosi in columnas ecclesiæ destinati atque excisi. Vestrum est juvenilibus cupiditatibus, vitiorum irritamentis, mundi illiciis, symposiorum & tabernarum frequentationibus, intempestivis Tabacco-extractionibus, sublimationibus, & calcinationibus, indecoris gesticulationibus, otiosis discursationibus nil nisi pretiosi temporis & studiorum jacturis fortissime bellum indicere : Vestrum est Euangelij, quod in ore, in corde, in sinu, in oculis, in auribus quotidie

O R A T I O .

tidie habetis , vim ac virtutem vestro exemplo  
ostendere: vestrum est amorem Christi & virtu-  
tem ejus , qui vos è tenebris ad lucem traduxit ,  
gravissimis verbis prædicare magis quam vinū ,  
quam cerevisiam , quam

*Innocuos calices, & amicam vatis herbam ;*

*Vimque datam folio, & laeti miracula fumi.*

*Commemorabimus amores tuos meliores vino , inquit* *Cantic. 1.*  
anima fidelis. Illuxit enim gratia Dei salutifera  
omnibus hominibus , erudiens nos ut abnegatā impie-  
tate, & mūdanis cupiditatibus temperanter justè & piè *Tit. 2. v.*  
*vivamus in præsenti saculo.* *11.* Væ vobis , væ mihi ,  
væ Theologis omnibus, si religioni studemus, si  
pietatem aliis instillamus , cuius gustum forte  
nunquam percepimus; si per ludum & jocum la-  
tera & guttur exercemus in omnium peccata  
detonantes , interim ipsi intercutibus vitiis sca-  
temus; si alios flere volumus, & privatim aut nos  
inter nos suaviter deliciamur; si omnes commo-  
vemus & ipsi non moveamur ; si pro fide disputa-  
mus & contra fidem vivimus ; si de Antichristo  
sub umbrâ dissertamus, & ipsi Antichristum in  
pectore gerimus; si tanquam animosi quinquer-  
ciones decantatos illos quinque articulos profli-  
gamus, & bis aut ter quinque vitia securi admit-  
timus ; si superstitiones aliorum preculas explo-  
dimus, & nullâ meliorum precum devotione fer-  
vemus; si pro bonorum operum necessitate con-

## G I S B E R T I V O E T T I

tra aduersarios protestamur, sed protestationem  
facto contrariam ostendimus ; si de turpitudine  
peccati, de strictâ Dei justitiâ , de tremendo ejus  
judicio, de mortis primæ & secundæ horroribus  
ampullamur & omnibus terrorem injicimus, ip-  
si tamen tam amicè tamque familiariter pecca-  
to cohabitamus. Quid juvabit subtiliter de Deo,  
de operibus ad extra & ad intra , de personarum  
Trinitate & similibus mysteriis disputasse, si ve-  
râ humilitate destituti displicuerimus Trinitati?  
quid juvabit peccatum definiisse, distinxisse, & à  
peccato non fuisse conversos? An putamus æter-  
num & unigenitum Dei filium Magnum Deum  
& salvatorem Iesum Christum sanguinem suum  
fudisse, æternam redemptionem invenisse, ecclesi-  
am sibi sanctificasse , è sinu patris omne consi-  
lium Dei ad salutem hominibus revelasse, The-  
ologos cœlesti legatione apud homines fungi  
voluisse nullum alium in finem , quam ut nos  
dicendo & lucem Euangelij splendidâ oratione  
preferendo securi ævum hoc transfigamus, ex sti-  
pendiolo famelicū ventrem impleamus, &, quod  
ille in Sardibus venalibus (titulus Satyræ est) ob-  
jecit, *uxorem ducamus, liberosque tollamus in spem non eruditio-  
nis, sed, ut sarcastice ibi loquitur, e suritionis?*  
Absit, absit, dilecti fratres : aliud quid pretio-  
sus Christi sanguis , aliud pretiosa animarum  
merx negotiationi nostræ ( ita loquar ) com-  
missa,

## O R A T I O.

missa , aliud vocatio nostra , aliud Ecclesiæ exspectatio postulat. Animas nostras nisi tradimus ad lucrandas animas , nisi verbo & opere ædificamus; mercenarij sumus, proditores sumus, qui si non semper alios , nos saltem salutemque nostram prodimus. Videlis quanta benè vivendi quanta maturè & sollicitè deliberandi necessitas vobis incumbat, ut statuatis ? *H' μὴ διδάσκειν , οὐ διδάσκειν τῷ τρόπῳ*, Id est , *Aut non docere aut erudire moribus*, Ut prudenter Nazianzenus. Sed ulterius hic non provehar. Tempus monet , ut ad literatos & studiosos omnes nostra revertatur oratio. Ne putetis , lectissimi auditores, me pro pietate tam multa dicentem paradoxa coacervare & nova atque insolita quædam auribus vestrīs adferre , quasi pietatem cum scientiâ conjungere idem sit ac gryphes equis jungere , aut bovi clitellas aptare , aut omnes studiosos in monachos transformare. Ipsum nomen studiosi hoc persuadet quod nos postulamus. Hæc enim est genuina studiosi descriptio , Quod is sit qui gravissimaru[m] rerum studio deditus ad sublimes functiones in Republ. aut Ecclesiâ subeundas Deo hominibusque faventibus se præparat. Hæc est vera sapientia , cuius alumni & studiosi in Gymnasiis versantur , quæ mentem non tantum illustrat, sed cor accendit , quæ nudas veritatis notiones & volaticas imagines non tantum in cerebro

aut

G I S S E R T I V O E T I I

aut ejus superficie depingit, sed & interiores animi atque affectuum medullas, intimè penetrat, penitissimè sanctificat & validissimè convertit, quæ non tantum doctiores sed & meliores facit; Aliter & alia si sit sapientia, verè insaniens sapientia est, carnalis est, terrena est, diabolica est, ut loquitur Apostolus, quæ inflare te potest, perficere & beare non potest. Ut enim gladius in manu furiosi, ita eruditio & scientia omnis, nisi ~~δρακοντεινή~~ & animorum imperatrix religio clavum moderetur. Ipsum etiam hoc Gymnasium, ipsa domus Sapientiæ, quam illa sibi hic ædificavit, studiosos omnes officij sui admonet. ~~A του θεού~~, Id est, gymnasium pietatis est dedicatum Deo patrum nostrorum, & domino Iesu Christo, non Baccho, non Veneri, non Mercurio, non Marti. Absit turpitudo, absit garrulitas, absit ebrietas, absit ferocia, absit insolentia, absit omnis profanitas. Quis ferat matrem Academiam in meretricem, domum sapientiæ in gurgustia nebulonum aut speluncas latronum, coronas Philosophantium in symposia ebriosorum, confessum eruditorum in choros saltantiū Satyrorum, Bacchanton, Corybātum, innoxios & pacificos conventus in manipulos grassantiū & tumultuantium sicariorum converti? Si sapiimus per quietem, ut recte Philosophus, utiq; nihil minus convenit studiosis quam turbæ, quam clamores

O R A T I O.

clamores quam cursitationes. Si anima sicca sapiens , quid absurdius quam vino totos dies aut totas noctes madere, quam pæti fumo fumare, quasi fumus fornacis calcariæ ascenderet , ut de Sodomæ & Gomorrhæ conflagratione loquitur Scriptura ? Si inter arma silent leges, ubi arma scilicet constituunt elementum prædominans , hic vicissim inter leges fileant arma , hic rixæ, hic pugnæ conticescant,hic templum Iani perpetuo clausum sit. Quod si quis Martius pullus

*Genes. 19.*

*Vulnus alit venis & cæco carpitur igni,*  
si quem stimulat honestus Martis ardor, si fortitudinem concoquere, si animi impetum sustinere non potest; illi ego author essem ne conscientiæ diutius vim inferat, ne temporis,ne virtutis, ne sanguinis ingloriam hic faciat jacturam , sed de consilio parentum aut fautorum mature se conferat ad castra Illustriß. Principis , aut Trajectum ad Mosam aut Sylvam-Ducis , aut Heus-dam dilectam mihi patriam , ubi quotidie Hannibal ad portas , ubi florentissima armata Palla-dis gymnasia aperiuntur , ubi insigniter fervet maestandi opus; illic bella domini pro aris & focis gerat ; illic fortiter vincat quoties & quantum potest, aut, suprema illi si venerit hora, honestè ibi cadat potius quam conscientiam , nomen,& familiam suam dedecore , Musarumque

K

hoc

hoc sanctuarium proprio atque alieno sanguine  
conspergat. Gloriam illi non invidemus, etiam  
ex hoc Illustri Gymnasio antiquo & priori do-  
micio ablaturum spondemus epitaphia & æ-  
terna fortitudinis suæ monumenta. Ita spartam,  
quam quisque naëtus est, ornabit ; ille fortia fa-  
ciēdo, pro Patriâ, pro Ecclesiâ, pro Scholis, etiam  
pro hoc Gymnasio pugnando, vigilando, agen-  
do; hic oratione, carmine, aut historico com-  
mentariolo res gestas pangendo :

— Alterius sic

*Altera poscit opem res & conjurat amicè,*  
 Eritque Pallas, sed per Gymnasia & locorum  
 spatha dispartito imperio, una eademque præses  
 & belli & studiorum; ut Theologiz Mythologi-  
 ce terminos hic usurpem. Sed forte parq[ue]nes in hâc  
 nostrâ nonnulli rancido illo effugio delinabût:  
 Quod liberalium artium studiosi sint, qui cum  
 aliis tam arête & rigidè Christianismi præceptis  
 & sublimi politiæ ac vivendi rationi astringi  
 non debeant, quibus major libertas, major in-  
 indulgentia, laxior disciplina concedenda. Quasi  
 studiosus formam, modum & mensuram poneret  
 Christianismo, eumq[ue] fingeret, refingeret, & ad  
 libitum suum instar nasi cerei aut Lesbiæ regu-  
 læ inflechteret. Non *vinum*, ait ille apud Comi-  
 cum, *hominibus*, *sed homines vino imperare oportet.*  
 Longè alia ratio est pietatis & religionis, quæ  
 con-

## O R A T I O.

conscientijs , quæ libertati , quæ vocationi , quæ statui , quæ conditioni omnium hominum æqualli dominio imperat . *Ex corde* , ait Apostolus , *auscultasti ei formæ (πνευ) doctrinæ , in quam estis tradiri* . *Et liberati à peccato , servi facti estis justitia* . <sup>Rom. 6.</sup> Vt enim cera aut fusile metallum externam formam & figuram à typo accipit , non contra , ita specialis quælibet vocatio ac conditio , studioſi , patricij , nobilis , militis , mercatoris mensuram & modum recipit à communi & cœlesti illâ vocatione , quâ è regno tenebrarum ad mirabilem illam lucem ad adoptionem filiorum Dei votati sumus . Alioquin Christianismus haberet se instar Protei , aut chamæleontis , aut versatilis cothurni , essentque tot religionis ac pietatis formæ fingendæ , quot mundus habet status ac conditiones hominū , & cluerent plusquam Asdodicâ aut Babyloniacâ dialecto & barbarie in Ecclesiâ Christianâ nobilium religio , studiosorum religio , politicorum religio , militum religio & sic in infinitum ; quod nihil aliud esset quam religionem in pulverem aut in Aristotelicum potentiam infinitum secare , & latissimam portam ad omnem Libertinismum atque Atheismum aperire . Sed videor audire quiritantes nonnullos : Equid erit pretij ? quis fructus , quæ utilitas laboriosæ & sollicitæ pietatis ? quid hæc ad honores , ad divitias , ad vitam commodè splen-

G I S B E R T I V O E T I I

didèque transigendam? Præterquam, generosi auditores, quod sordida nimis sit quæstio hęc circa pietatem; quæ ipsa sibi merces & pretiū, præmium & retributio omnibus mundi opibus non contra æstimanda, volo scire ex vobis, quis vestrum unquam *fores clauserit, aut illustraverit altare Dei gratis?* ut loquitur dominus apud Prophetam.

\*v.ii

*Malach. 1. Certe quæstus magnus est pietas, cum animo suā*

*1 Tim. 6. forte contento. Ne æmuletur, inquit Salomon utriusque felicitatis particeps, & arbiter callentissimus, animus tuus peccatores sed reverentes Iehovæ to-*

*Proverb. 23. 17. to die, quum enim sit merces, utiqꝫ exspectatio tua non*

*1 Timoth. succidetur. Pietas, ait Apostolus, ad omnia utilis*

*4. est, ut quæ promissionem habeat & ita præsentis & futuræ. Deus ipse est merces magna valde, & Deum cum dico an non bonorum abundantiam, voluptatum cumulū, immensum divitiarum omniū, Oceanum dico? Quanto justius nos, quam conjuratorum ductor Catilina, Christianos nostros cōmilitones ad gloriosum hoc certamen accendimus: *Divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt?* Ignavū peccatus est, quod nullis præmiis incitatur. Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloriæ. At quam felici stipendio, quam honesto titulo in castris Christi militamus!*

*An ignoratis, quærerit Apostolus, eos qui in stadio currunt, omnes quidem currere, sed unum accipere præmium? sic currite ut comprehendatis. Porro quisquis certat in omnibus*

*1 Cor. 9.*

eſſ

O R A T I O.

est continens. Illi quidem itaque ut corruptibilem corona<sup>m</sup> accipient: nos autem incorruptam. Ad quem locum respiciens Tertullianus: Athletæ, inquit, segregantur ad strictiorem disciplinam, ut robori & difi- cando videntur. Continentur à luxuriâ, cibis lazieribus, à potu jucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur: quanto plus in exercitationibus laboraverint, tanto plus de victoriâ sperant. Et illi, inquit Apostolus, ut corruptibilem coronam consequantur. Nos aeternam con- sequuturi, carcerem nobis pro palastrâ interpretemur? Alexander Macedo, auditis Indiæ divitiis, illico latifundia Macedoniæ inter commilitones suos partitus est, opes illas quas solâ spe devorabat, omnibus à Philippo patre relictis bonis longè præferens. Vlysses fumum domi suæ videre maluit, quam ignem & fulgorem in peregrino lare: & nos, queis in augustissimo hoc sapientiæ tem- plu humana & divina, terrena & cœlestia con- templari ac justâ lance ponderare dabitur, dubi- tabimus æternum & incomprehensibilem illum cœlestis patriæ splendorem, peregrinatio- nis nostræ caligini anteponere? Amantis ani- mæ vox est in epistolis Beati Martyris Ignati: *Amor meus est crucifixus.* plusquam he- roïca vox ejusdem Martyris: *Ingruant ignis, patibulum, bestiæ, oſium confractio, membrorum distraictio, omnia diaboli tormenta, modo fru- ar Domino meo Iesu regno ejus.* Ignea illa

G I S B E R T I   V O E T I I

aspiratio Nazianzeni : α θύμε βλέψον ἀνωχθοιαν δ' ὅπεληθεο  
πάντων, Id est : ô animè *sursum specta*, & terreno-  
rum omnium *obliviscere*. Ecstatica vox & divi-  
vini amoris raptus est, Thomæ à Kempis (qui u-  
tinam meliori sæculo vixisset ! ) dicentis : *Malo*  
*cum Christo mendicare in terris, quam sine illo posseide-*  
*re cælum.* Divinum illud divini poëtae Iul. Cæf.  
Scaligeri alloquium ad animam suam hinc mi-  
graturam.

*Egredere, ô multis tandem defuncta periclis,*

*Egredere & servis servilia regna relinque.*

Generosa vox nobiliss. Marchionis Caraccioli,  
quam studio veræ pietatis relictâ Italiâ, familiâ  
& bonis omnibus , cū ad defectionem , faltem ad  
remissionem de fervore sollicitaretur, respondi-  
se fertur : *Pereat aurum ipsorum cum ipsis, qui aurum*  
*totius mundi dignum estimant, vel unius diei societate*  
*cum Christo ejusque spiritu.* Quid multis ? in vitâ  
benedictio & claritas, in morte victoria & salus,  
post mortem triumphus & gaudium, Deus & om-  
nia in omnibus illos manet, qui per tolerantiam  
quærunt boni operis gloriam, & honorem, & incorrup-  
tibilitatem. Contra nil nisi labor & dolor, aug-  
stia & afflictio, horrēda judicij divini exspectatio,  
maledictiones omnes temporales & æternæ illis  
paratæ sunt, qui impuris moribus, & Cyclopico  
numinis contemptu primum Academias, deinde  
Respublicas & Ecclesiæ, bonosque omnes lento  
dolore

## O R A T I O .

dolore certatim excruciant. Evigilabit aliquando Deus ad vindictam, tanquam robustus cantilans ex vino, & innumeris etiam vitæ præsentis malis eos implicabit, ne putent omnia ad futurum sæculum differri. Memorabile ejus exemplum accidisse refert Agathias tempore Iustini-  
ani, cum terræmotus tria millia studiosorum in florentissimâ Academiâ Berytienſi improbitate & insolentiâ suâ continuo lascivientium, unâ nocte miserrimè oppressit. Sed obmurmurat hic rursum insipiens carnalium hominum cogitatio. Quis laborem illum subibit, quis asperam illam semitam calcabit, quis tanti emet pietatem? Quàm insuavia, quàm servilia, quàm siccata, quàm atro melancoliæ succo condita omnia, quæ tantâ cum commendatione nobis apponis. Vtinam ô lectissimi auditores, linguis angelorum & hominum nunc loqui, & lacteo verborum flumine eructare queam, quod imis cordis penetralibus clausum instar recentis musti intus exæstuat! Vtinam omnium sensibus atque animis evidentissimè atque efficacissimè inscribere nunc possem cultus divini voluptatem, suavitatem & facilitatem, ac si solis radiis scriptum esset! Vtinam omnes spirituali sensu perciperent onus illud quod Ætnâ gravius vulgo putatur, esse plumâ levius, quod non tantum non gravat sed etiam elevat & attollit eum qui illud subiit

G I S B E R T I V O E T I I

subiit , haut aliter atque aliae volucrem. *Jugum  
meum benignum est, & onus meum levè est*, ait Serva-  
*tor. Praecepta ejus non sunt gravia* ; spiritui scilicet  
mentis nostræ, homini regenito, amanti animæ,  
quæ alis veræ libertatis subvecta cursum corri-  
puit ut spem promissam retineat , quam caritas  
Christi constringit, quæ amore ipsius saucia in-  
flammata , & languida & liquefacta , cui divinū  
illud philtrum in pectus effusum est , quod intus  
apparens prohibet extraneum & adulterinum  
mundi amorem. Libertatem omnes amant, im-  
munitatem postulant , inter omnes studiofi no-  
strates , qui præterquam quod in libertate ocu-  
los in hanc lucem primi aperuerunt, propter sa-  
pientiæ studia liberalius haberi & tractari po-  
stulant. Sed videte , ne libertas vestra sit licen-  
*Galat. 5.*  
*1 Petr. 2.* *tia. Ad libertatem vocati estis , fratres , tantum ne  
libertatem arripite ut carni occasionem. Ut liberi , ac  
non veluti malitiæ velamen habentes libertatem , sed  
ut servi Dei. Optima libertas est servire legibus ,  
servire domino dominorum cui omnes creatu-  
ræ serviunt. Illi servire honor est, dominium est ,  
regnū est. Cum Adam illi uni serviret, erat do-  
minus omniū , cum ab illius servitio se avertens  
falsam libertatem quæreret, & libertatem & se-  
ipsum perdidit , factusque est cum omnibus po-  
steris suis servorum servus. O quot dominos ha-  
bent , qui unum non habent ! Conqueritur fer-  
vulus*

## O R A T I O.

vulus apud Comicum :

Ω's αργαλέον πεάγυμ' ἐστιν ὡς ζεῦ καὶ θεοῖ  
Δοῦλον γενέσθαι πρόδρομον τοῦ δεσπότες.

Aristoph.  
in Nebris.  
lis.

Id est , interprete Frischlino ,

*Proh Iupiter & Dij quam dura est provincia*

*Si quis hero desipienti servus serviat.*

Quanto justius nos de ferreo peccati jugo, de Ægyptiacâ pravorum affectuum & stolidissimarum cupiditatum servitute conqueri cogimur , & à servili illâ libertate ad liberam, liberalem & regiam Dei nostri servitutem oculos animumque attollere, quâ illi serviamus in novitate spiritus. Quis dabit nobis alas veræ libertatis , ut semel mundi hujus pedicis & retinaculis soluti , ad libertatem filiorum Dei, ad regnum illud libertatis subvolemus ! Arrident studiosis nostris privilegia : & ego salvâ patriæ & Reipubl. pace ac tranquillitate omnibus privilegiis eos auctos videre velim. Sed ne errate , ornatissimi juvenes ; nullum privilegium peccandi, nullum privilegiū Deum non timendi, aut dissolutè vivendi cuiquā concessum est , nisi privilegium quis ducat cœlo excludi , Diabolo mancipari , æternis gehennæ flammis devoveri. Insanam vocem pessimæ illius foeminæ ad Imperatorem Caracallam nostis , nec sanus quisquam ex vobis probabit : *Si libet , licet.* Et vulgatum illud :

— *Castitas, pietas, fides*

*Privata bona sunt, qua juvat reges eant.*

L

Nul-

Nullum est pulcrius & honoratius privilegium,  
 nihil majori mentis ardore , nihil impensiori  
 curâ conservandum quam amor & cultus Dei.  
 Quantum miraculum est , quâm stupenda beni-  
 ginitas ! quod gloriosissimus Deus à nobis miser-  
 rimis & vilissimis homuncionibus amari & coli  
 voluerit, non ut ipse quidquam à nobis recipiat,  
 qui nullius indigus est, sed ut habeat quibus ple-  
 nitudinem bonitatis suæ communicet. Veram  
 inter homines amicitiam non labore aut re-  
 quie , non utilitate aut danno , sed ipsâ amoris  
 mutui suavitate ac perfectione metimur. Deus,  
 quamvis nullo præmio labore nostrum com-  
 pensaret, nullâ gloria deliniret, per se tamen su-  
 pra omnia amari & coli dignus esset. *Si amator*  
*In ps. 85. Dei esse vis, sincerissimis medullis, castissimisque su-*  
*ffiriis ipsum dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inhia.*  
*quo jucundius nihil invenis, quo melius, quo latius, quo*  
*diuturnius.* Sunt verba Augustini. Quid Christus  
 servator noster fidissimus animarum sponsus , an  
 non dulcedo totus , totus misericordia & benig-  
 nitas ? An non gratia ejus melior est vitâ iis, qui  
 semel modo gustârunt quam suavis sit dominus ?  
 Audi mellitū Bernardū in mediis illis tenebris  
 oblitum omnis adulterini amoris & devotionis,  
 castissimos amores hujus unici prædicâtem: *No-*  
*men Iesu, inquit, non modo lux est, sed cibus. Oleum*  
*est, sine quo aridus est omnis animæ cibus: sal est sine*  
*cujus*

O R A T I O .

cūjus conditūrā insipidum est , quidquid proponitur : denique est mel in ore , in aure melos , in corde jubilum & simul medicina : & quidquid disputatur insulsum est , nisi ubi sonat hoc nomen . Sic ille ubi bene optimè . Quis igitur non exclamat cūm Psalmista : *Ps. 63. §.*  
*Anima mea adhæret tibi.* Et , mihi adhærere Deo bo- *73.*  
 num . Et cum amante sponsa : *Dilectus meus mihi* & *Cant. 2*  
*ego illi.* *Dilectus meus mihi* , ut fasciculus myrræ inter *16. §. 5.*  
 ubera mea requiescens . *Ut malus inter arbores sylvæ,* *Cantic. 1.*  
*est amicus meus inter filios :* in umbrâ ejus summè def-*13. §. 2. 2.*  
 dero ut sedeam , nam fructus ejus dulcis est palato meo .  
 I nunc juvenis lxtare in juventute tuâ , vanita-  
 tem dilige , fallacem hanc umbram capta quæ te  
 fugit , eme tanto pretio , tantis molestiis æternū  
 illud pœnitere , cor tuum fluxis & caducis illis af-  
 fige , ut cum iis tāquam in rotâ Ixionis perpetuo  
 rotetur , imple voluptates tuas , aversare discipli-  
 nam , & exspecta finem cursui , mercedem operi  
 tuo : quam ita exprimit Augustinus : *Delectatio*  
*occidit & præteriit , vulneravit & transit , miserū fecit* *Serm. 3. de*  
*& abiit , infelicem reddidit & reliquit ; juxta illud* *Tempore.*  
 Apostoli : *Quem igitur fructum habebatis tunc ex Rom. 6.*  
*iis , de quibus nunc erubescitis ? nam finis illorū mors est .*

Agite ergo generosi & ornatissimi auditores ,  
 Gymnasij hujus decora , gaudium & corona no-  
 stra , spes patriæ , spes Reipubl. , spes Ecclesiæ , ab-  
 jecto omni pondere & peccato ad nos circum-  
 cingendos proclivi , per tolerantiam propositum

G I S B E R T I V O E T I I

vobis stadium decurrite , intuentes in fidei du-  
cem & consummatorem Iesum. Hodiè si vocem  
ejus audiveritis, ne obdurate corda vestra. Co-  
gitate non Apollinem , non Pallada , non alia  
Theologiæ Mythologicæ simulacra , sed ipsam  
Dei sapientiam Dei filium , Iustitiæ Solem , huic  
Illustri Gymnasio, his studiis , his exercitationi-  
bus nostris præsidere , ipsum omnem scientiam,  
omnem animi culturam in manibus suis gesta-  
re , largiturum studiosis illis ampliora præmia,  
quorum circa se desideria fuerint majora. Si glo-  
riosissimus ille dominus , si amantissimus pater , si  
conjunctionissimus frater , si dilectissimus sponsus , si  
fidissimus sponsor , mediator & advocatus , si ag-  
nus ille immaculatus proprio sanguine perfusus ,  
tot vulneribus fœdatus , poculo furoris domini  
inebriatus , ad inferos usque nostri causâ depres-  
sus , si quid magni aut insoliti à nobis postularet ,  
quem non puderet negare ? Nunc cum mentem  
puram , cor rectum & incoctum generoso pectus  
honesto , solummodo postulet ; cum salutem no-  
stram , lucrum nostrum , honorem nostrum ut cu-  
remus , tantum flagitat & ipse curat ; cum cœle-  
stis ille animarum amator ad limen nostrum no-  
ctu interdiu vigilet & nos sibi dilectos tam ar-  
denter ambiat ut guttis nocturnis caput ejus ma-  
deat , quâ fronte , quo duro corde illum supplicâ-  
tem , obtestâtem , ambientem repellamus & quâ-  
tum

O R A T I O.

tum in nobis est possessione ac præfecturâ hujus Gymnasij, studiorum nostrorū, cordium nostrorū deturbabimus? Quin potius superbiam & fastū, ignaviam & torporem, helluationes & compositiones, rixas & contentiones, seditiones & factiones, impuritates & scortationes tanquam Sapientiæ Dei juratos hostes, Gymnasiorum ac studiorum omnium pestes, vitâ ad temperatiam, iustitiam, ac pietatem cōpositâ, profligamus? Quin sacra & publica Ecclesiæ exercitia assiduò & alacriter frequētamus; diem dominicū, sequestratis ordinariis studiis, totū exercitiis pietatis & studio scripturarum consecramus; quotidianis insuper lectionibus, precibus, meditationibus, resipiscentiæ & fidei renovationibus, tanquam studiorum nostrorum vehiculis, diem quemque feliciter inchoamus & terminamus? ut, quod ad sacra, nulla dies nobis abeat sine lineaτάξις αεὶ ταῦτα δέχομένα καὶ Nazian.  
λόγια, καὶ πείγματα, εἰς θεῖς πράξεων, καὶ εἰς θεὸν αἰνούντων, id in apol.

est: *Ordo optimus incepit & sermonis & negotij est à Deo incipere & in Deum desinere.* Frustra enim felicem & salutarem studiorum successum sperat qui Dei sui obliviscitur, qui illotis manibus, hoc est, sine debitâ sui sanctificatione ad illa provolat. Ut in Deo vivimus, movemur, & sumus, ita Deum in omnibus studiis nostris quæramus, bonitatem ejus gustemus, mirabilia ejus palpemus, ad illū ejaculatoriis precibus & adspirationibus

GISSBERTI VOKTI ORATIO.

crebro suspiremus, omnes lectiones, scriptiones, contemplationes nostras illis condiamus tanquam mellitis suavitatibus, tāquam spiritualibus animæ pharmacis atque aromatis. Hæc via regia, lectissimi auditores, ad meliorem illam spem, hæc porta cœli, hic introitus ad regnum illud *αὐτολευτον*, Id est, *quod concuti non potest*, ubi Rex Trinitas, lex caritas, modus æternitas; hic agon, hic cursus ad metam, ad justitiæ coronam.

Sed quia nostri conatus, nostra cōsilia, nostræ persuasiones, nostræ ex Theologicâ cathedra orationes nihil possūt nisi intus doceat Spiritus S. (cathedra enim in terris est sed magisteriū in cœlis, ut rectè Augustinus:) ad te rursum nos cōvertimus Deus Pater, Fili, Spiritus S. creator, miserator, redemptor & sanctificator noster; tu, quæsumus, potenter & suaviter mentes nostras illumina, tu corda flecte, affectus corrige, carnem crucifige, mudi & Satanæ tentationes ac tempestates increpa, converte nos & convertemur, trahe nos post te & curremus, fac ut faciamus, da quod jubes & jube quod vis & non frustra jubebis. Misericordia patriæ, miserere Ecclesiæ, miserere Gymnasij, converte infideles, corroborare fideles, dirigere nos omnes per viam pacis ad patriam perpetuæ claritatis. Tibi sit laus, honor & gloria in sæcula sæculorum, A M E N,

A M E N.

ANTONII MATTHÆI

Iuris Professoris

O R A T I O  
I N A V G V R A L I S

D E

Iuris Civilis sapientia  
contra ejus obtrectatores.

V O D precatus sum à Deo immor-  
tali , tum cum à delegatis inclytæ  
hujus civitatis ad honestissimam ju-  
ris docendi functionem evocabar ;  
uti ea res Senatui Pop. Q. Ultraje-  
ctino bene atque feliciter eveniret :  
idem precor ab eodem Deo immortali hoc die , quo  
more institutoque literario auspicia novi muneris  
capienda mihi sunt . Neque repetere s̄apie-  
sum pigebit ; neque si repetiero , ut boni laudent  
metuam . Nam si illa solennis precatio eam in se  
habet vim & religionem , ut omissâ ne minutarum  
quidem rerum proventus speretur ; quanto minus  
neglectâ maximarum rerum messis speranda est ?  
Et si modicis quoque negotiis fortunand's crebrum  
dicimus Feliciter ; quoties quantumque vobis , Se-  
natores

ANTONII MATTHEI

natores prudētissimi, dicendum erit, inter initia rei tam pulchræ, tam præclaræ, ut vel invidia judice æternitatis memoriam cum præclarissimis mereatur. Cum enim reliquorum mortalium, qui cum re potentiam conjunxerunt, ea plerumque libido fit, ut divitias quas honestè habere poterant, aut luxu vexent, aut turpiter flagellent: vestra diversa ratio est, qui opes, quas fortuna vobis dedit, per gloriam possidere, quam per ludibrium abuti mavultis. Cumque ea sit vulgi existimatio, Musis atque Marti nullum esse commercium; silere leges inter arma, nec Themini audiri inter militum clamores: vos non commercium tantum, sed & conjunctiōnem, & necessitudinem summam ostenditis; qui cum Deum colitis, tum in fide ejus atque tutela Deas esse vultis, ut conjuncta numina mutuis auxiliis juventur ornenturque: Dearum quies defensione Martis: virtus Martis studiis Dearum. Qua in re credo secuti estis, non tantum Fulvij illius Nobilioris vestigia, qui primus novem Camcœnarum signa ex Ambraciensi oppido translata sub tutela Herculis consecravit: sed & multorum laudatissimorum principum exemplo provocati estis; qui ut haberent rempubl. non solum armis decoratam, verum etiam sapientiæ studiis armatam, utriusq; militiæ, tam sagatæ, quam togatæ scholas aperuerunt. Illud autem præcipuum habetis, quod non modò conjunxitis cum sago togam, sed conjunxitis eotem-

## O R A T I O.

tēpore, quo sagatos magis quam togatos respub.  
flagitare videbatur. Hoc vobis fama imputat, nec  
laudis consortio nisi fœderatos dignatur; qui sæ-  
viente crudelissimi belli tempestate, inter armorum  
strepitus, & buccinarum cantus ita Marti operabā-  
tur, ut Astrææ quoque & Musis templo dedicarent.  
Hanc primi sibi gloriā Batavi peperere: dein Frisij:  
secuti Gelri; nec desperavere Trans-Isalani. Co-  
ronam studiis vestrum imponit Lyceum, cui recen-  
tibus auspiciis nascenti ea rerum incrementa pre-  
cor, ut cum tempore inter novissima sit, fama & nu-  
mero in primis habeatur. Annuat Deus immorta-  
lis precibus, & faxit uti Senatus mentes atque sen-  
tentiae cum populi Vlrajeëtini voluntate semper  
consentiant; eaque res Senatui Pop. Q. Vlraje-  
ëtino gloriam, Scholæ quietem & tranquillitatem  
sempiternam adferat. Verūm enim verò, quia vi-  
deo, præter solennes acclamationes illud quoque  
usu communi receptū esse, ut homines quibus do-  
cendi provincia data est, de rebus ad eam pertinen-  
tibus ante dicant quam doceant; ne ab eorum in-  
stituto descivisse videar, ab ominationibus ad ar-  
gumentum transibo. In quo quidem sumendo, cum  
scrutarer eorum vestigia, qui ante me eadem facti-  
tarunt, non unam omnibus rationem constitisse  
deprehendi. Quidam enim de rebus ad statum rei-  
publ. pertinentibus differunt: alij in juris civilis  
laudes effunduntur: plerique de studio ejus recte

instituendo deliberant. Ego nihil præsenti instituto convenientius facere me posse existimavi, quam si civilem Romanorum sapientiam , cuius me professorem Senatus esse voluit, à malevolorum obtrectationibus vindicare: non quod ingenium argumento par esse putarem ; sed quod fides id à me flagitare videretur. Si enim oratores & advocati sui putant officij , in causis capitalibus etiam alienissimos defendere : flagitium sit ingens , eam non defendere , cui fidem dederis ; quaque defensa non tam laudem meruisse, quam culpa caruisse videare. Ante verò quam adversariis me comparem, vos A. O. rogo; primùm quidem ut paventem insolentia loci animum meum serenitate vultus vestri erigere , dein aures vacuas , animosque æquos ad breve tempus commodare velitis; ut depulsis vestro favore caluniis, facilius patere possit , solam Romanorū sapientiam dignam esse, cuius sacra in civitate sint. Atq; initiu dicendi facturus de dignitate hujus studij nihil præfabor : tametsi enim ad causam utilissimum, ad gloriam pulcherrimum foret, scientiam pulcherrimam dictis exæquare ; tamen quia sentio me parem ad res dicendi vim adferre non posse, filere satius arbitror quam pauca dicere. Verùm recto gradu ad eos accedam , qui novæ nescio cuius sapientiæ studiis mancipati , priscam illam , quam & antiquitatis veneratio , & Romani nominis maiestas, & sua ipsius pulchritudo commendat, è me-  
dio

O R A T I O .

dio sublatam cupiunt. Hi cum viderent in universum culpari non posse, quod tot argumentis, tantis auctoribus defenditur, particulias quasdam ejus vellicant, quibus avulsis aut fœdatis totum fœdari necessè sit. Ex partibus autem juris civilis quæ pro amplitudine ejus multæ sunt, cum alias miserè lacerant, tum illam quæ de testamentis est impensè vexant: tanquam sit & rationi, & utilitati inimica; perennis litium fons, & prodiga forensis improbitatis nutrix. Primum quidem mirantur, quæ tanta fuerit Romanis legumlatoribus causa, cur testandi libertatem infinitam esse voluerint; eur necessitatis tantæ, ut paulo minus stulta quorumlibet judicia de rebus suis legibus æquarent: cum ratio naturalis dictare videatur, heredem defuncti esse debere, non quem malesano testator voto concepisset; sed quem sanguinis proximitas ad gentis pecuniam vocaret. Dein execrantur immensas illas scriptiones, & operosa volumina, de institutionibus & substitutionibus heredum, de jure ad crescendi, de conjunctionibus rerum & verborum, de quarta Falcidia, S. eto Trebelliano & Pegasiano; quibus tanquam difficillimis nugis, & quadrifariam sectis pilis juventutem teri, ingenia vexari queruntur. Rectius suis à majoribus provisum autumant, qui omnem istam incendij materiam & dissidiosam farraginem uno iœtu præciderint, cum testandi facultatem in totum sustulissent, & felici invento ac usu

## ANTONII MATTHAEI

fanxissent, ut qua quisque lege familiam acceperit, eadem genti posterisque transmittat. Sentio hac in parte cuiusmodi cum hominibus mihi res futura sit: nempè non ejusmodi solùm, qui præter nocendi voluntatem in rem præsentem adferre nihil possunt; sed & iis, qui cum nocendi proposito literas & facundiam conjunixerunt; uti plane quemadmodum ille ad evertendam remp. ita hi ad impugnanda testamenta sobrij accessisse videantur. Nec tamen congressum eorū abnuerim, quanquam impar facundia: nec metuam ut superior sim, tametsi & ætate, & usu inferior: quandoquidem non omnia in eloquentia sita sunt; est quædam tamen ita perspicua veritas, ut eam infirmare res nulla possit. Quid enim est, quod tantopere mirantur illam testandi libertatem, & æquatas legibus defunctorum voluntates? usq; adeò aut ratione destituitur, aut exemplo perniciosa est? Profectò, nisi vehementer erro, nihil rationi magis consentaneū, nihil in publicum utilius. Siquidem hoc natura comparatū est, ut de iis rebus, quarū quisq; jure gentium aut jure civili dominus factus est, statuere pro arbitrio quod lubet possit: ne si statuendi facultatem denegemus, non tam dominum quam usufructuariū faciamus. Atq; hoc uti natura comparatū est, ita apud omnes, etiam eos qui testamenta damnant in confessō est, dominium nihil aliud esse, quam de re quod lubet statuendi potestatem: suę quemq; rei esse moderatorem.

O R A T I O .

torem & arbitrum; nec culpam preſtari niſi in aliena; nec rationem reddi, niſi ſit fidei noſtre commiſſa. Dominus ergo ne adverſariis quidem abnuentibus, ſtatueret de re ſua quod libet potest: Inter vivos tantum, an & ultima voluntate? vivus valensq;; an & moriturus? quid eſt, quod hac tamdem de re vobis poſſit videri? Inter vivos credo dicent, qui noſ animadverſunt, imperfectum futurum eſſe dominiū, quod iñtegra lege habere non licet: prægrave fore patrimonium cui hoc adjunctum odium eſt, ut denegata testandi facultate certa & immota lege proximis personis derelinquendum ſit. Quantulum eſt enim inter vivos ſtatueret poſſe, ſi non liceat idem ultima voluntate? Vivis neque curæ, neque commodo eſt de rebus ſuis cernere, aut aliis mancipio bona dare: ne ſi dederint, exuti fortunis ipſi ſibi funus faciant, & vivi videntesq;; exequias eant: cum non poſſit non ille mortuus videri, qui antequam vivere defierit, ſubſidia longioris vitæ ſibi ſubtraxerit. At cuſ mortalitate jam defuncti ſumus, cum unā cum vita deposituri etiam exuvias omnes & fortunas ſumus, tu ſi ſtatueret quod libet de rebus quisq;; ſuis potest, verè noſtras, non uſu tenus aut fructu fuifile conſitebimur. Hoc tempus eſt quo dominus arguitur! Haec dies illa cujuſ arbitrio herus ceneſtur! qua ſi cernere cum libet non licet; fruſtra licet, cum neque ſanis libet, neque ſtultis expediat. Cur datur quod accipientibus in exitium

## ANTONII MATTHAEI

vertit? Cur negatur quod requirentibus saluti est?  
Ea beneficij lex est, ut indigenti detur; datumque  
juvet, non opprimat: Secus perdet nomen quod  
fructu caret; aut intempestivè sumtum perniciem  
ad fert sumentibus. Quid? quod ex servitute tra-  
hit aliquid non posse statuere supremis tabulis?  
neque plenæ libertatis argumentum est heres ille  
necessarius & inevitabilis? Notum est cujusmodi  
olim Latinorum Iunianorum & dedititorum for-  
tuna fuerit: quia lege testamenti factio denegata  
fuerit iis, qui non justam & plenam consecuti fo-  
rent ex jure Quiritium libertatem. Vivebant ut  
liberi; moriebantur ut servi: vivi res suas utcunq;  
administrabant; mortui non quem tabulis probaf-  
sent, sed quem lex dedisset heredem habebant.  
Haud multo pensior est eorum conditio qui testa-  
menta damnant: Et hi ut liberi vivunt; propemo-  
dum ut servi moriuntur: superstites utcunque bo-  
na disponunt; morituri non judicio successorem  
probant, sed legis arbitrio capiant. Quod si rectè  
Iustinianus Imperator utramque illam libertatem,  
& dedititiam & Iunianam è civitate sustulit, voluit-  
que eos quibus quoquo modo libertas obtigisset, e-  
jus beneficio plenissimè frui: necesse est illud quo-  
que rectè constitutum dicamus, ut qui dominium  
habet, plenissimo ejus jure fruatur; nec vivus tan-  
tum valensque, sed & moriturus de rebus suis de-  
cernat. Est igitur hæc prima & summa ratio quæ

pro

O R A T I O .

pro testamentis stat, domini potestas : cui si junxerimus alteram humanitatis & affectus , apparebit quam sit absurdum illud novæ sapientiæ placitum, quo morituris negatur, quæ viventibus conceditur alienandi facultas. Namque valentium decreta unicum ferè dominij argumentum defendit : morientium preces non solùm dominij vis tuetur; sed & invidiosa misericordiæ ratio commendat. Hæc postulat liberam esse morituris statuendi de rebus suis potestatem. Hæc flagitat mortalium votis indulgeri , qui pro immortalitate quam se consequi posse diffidunt, hac quasi immortalitatis specie & umbra delectantur, postquam aliud jam velle non possunt , licitum esse supremæ voluntatis stylum ; nec impediri ultimum quod non redit arbitrium. Hoc divos se fieri credunt ! Hoc qui caruere , propemodum sine solatio mori sibi visi sunt ; cum inter humana non ultimum solarium sit mortis , illa post mortem voluntas. Itaque ergo quoties illas veterum formulas legimus ; **QUIA HEREDES, QUOS VOLUI MIHI CONTINGERE, HABERE NON POTUI &c. QUONIAM SINISTRA FORTUNA CAIUM ET LUCIUM FILIOS MIHI ERIPUIT &c.** quis nostrum non animo valde commovet ? quis non communis mortalitatis cogitatione & faciet & miseretur ? Est enim à natura multum nobis affectus erga morientes datum; quo fit, non tantum ut deficientium oculos cum fletu condamus , sed & mor-

## ANTONII MATHAEI

mortuorum memoriam lamentis prosequamur. Ac licet nec Deos manes credimus , nec quid rerum mortales agant ad mortuos referri scimus ; nemo tamen quæ moriturus dixerit non meminisse , quæ mandaverit non exequi volet , nisi alienum ab omni humanitate & misericordia sese profiteatur. Neque verò morituris solùm favet hæc humanitatis ratio ; sed iis quoque patrocinatur , quos illi heredes supremo judicio scripserint. Cum enim affectio animorum , ex qua testamenta sapientes nata credunt , universo mortalium generi mutua sit : cum sit naturalis & ingenita nobis commendatio , qua oportet hominem ab homine ob id ipsum quod homo est , tametsi propinquus non est , non alienum videri : facile intelligimus culpandas non esse tabulas , quibus extraneus heres scriptus est : qui licet cognatus non est , tamen homo est , & communis humanitatis intuitu , non indignus hereditate videri debet. Quod si ad humanitatem accesserint merita , & multis vitæ officiis qui propinquus non est anteverterit proximos , quis culpet , non laudet tabulas , quibus primus amore & meritis antefertur ei , qui solo sanguine & nascendi sorte gloriatur ? Quippe cum nasci fortuitum sit , nec ultra æstimentur : electio & animi judicium optimum quærat & inveniat : qui si longo usu multisque fidei experimentis fuerit probatus , cur non proximus habeatur morituro , qui amicissimus erat viventi ? Porro quan-

O R A T I O.

quanta in ea re utilitas , posse vel ultimo vitæ mo-  
mento dignis & benè meritis condignam refer-  
re gratiam; quo nisi grati simus, ingratos nos mori  
necessæ sit ? **Q**uanta contra indignitas solos pro-  
pinquos pro nostris, reliquos omnes pro alienis ha-  
bendos ? Et illis quidem etiam nullo suo merito re-  
linquenda bona: his ne optimè quidem meritis he-  
reditis tribuendum nomen? Taceo quod industriam  
languescere , socordiam intendi necessæ sit , si lege  
detur, non testatoris arbitrio hæreditas. **Q**uis enim  
in hoc tam brevi vitæ curriculo , tantis laboribus  
frangi ? tot curis vigiliisque consumi? toties de bo-  
nis tanquam de vita dimicare volet ? si cura futuri  
nobis interdicitur; si quibus regionibus vitæ spatiū  
circumscripsit est, iisdem domini potestas termina-  
tur ; nec successorem habere licet eum , cui asseni-  
bonorum ex voto paravimus. Ex his omnibus ma-  
nifestum est testandi institutum neque rectæ rati-  
oni repugnare, neque utilitati inimicum esse. **Q**uid  
si ad rationem accedat gentium consensus , quan-  
tum ponderis & momenti accessurum putamus ?  
Huic enim consensi illud tributum est , ut quod-  
cunque gentes usu exigente & humanis necessitatibus  
constituissent, id jus esset; nec minus sacrosan-  
ctum & inviolabile haberetur , ac si divina provi-  
dentia constitutum , aut natura comparatum esset.  
**C**ircumferamus igitur oculos , lustremus divisas  
orbe toto gentes , nonne major mortalium pars te-

N

stamen-

## ANTONII MATTIAEI

testamentis gaudent? & quamvis tantis terrarum spatiis disjuncti sint, tamen communi consensu probant supremam illam futuri curam? Ne barbaros moremur, eos solùm intueamur, in quibus non modò fuit, sed à quibus etiam humanitas ad reliquos populos dimanavit. Nonne Græci, tam hi qui Europam, quām isti qui Asiam incoluere, tametsi legibus, moribus, institutis plurimūm inter se dissiderent, uno tamen animo pro testamentorum auctoritate certavere? Errat quisquis Romanorum inventum putat: etiam ante quam Roma esset, orbis consensu testamenta probabantur. Et ut rectè quidam ex sapientibus nostris opinātur, ante quam Mercurius Ægyptiis, Cadmus Græcis literas ostendissent, jam testamenta & heredes viva voce nuncupabantur? Quod si tempora in quæ nos duravimus examinare libet, præter barbaros multos inveniemus consensum Italiæ, Germaniæ, Hispaniæ, togatæ Galliæ, & totius propemodum orbis Christiani. Quibus conjuratis, quid est, quod adversarij opponere possint? nisi ex veteribus Germanos: ex præsentibus aliquos Galliæ, paucos Belgij nostri populos, quibus sui magis animi sensus, quām reliquarum gentium consensus placuit. Exiguum profectò diversæ sectæ firmamentum. Non enim si testamentis non usa est, aut ne nunc quidem uititortanti orbis tantilla portio, idcirco putandum est, non esse ea juris gentium. Nam quemadmodum olim

O R A T I O .

olim inventis à Cerere frugibus , inventi sunt qui ,  
vel quod Deorum munera ignorarent , vel quod usu  
eorum non caperentur , glande malebant vesci :  
ita inventis testamentis , quid mirum si Germani u-  
si non sunt ? quorum usum aut ignorabant , aut non  
probabant ; iis temporibus , quibus armis magis &  
fide , quam humanitate & cultu ante reliquos mor-  
tales erant . Postquam cum armorum studio hu-  
manitatem & pacis artes conjunxerunt , mutata  
majorum duritie , plerique omnes suprema de re-  
bus suis judicia probant . Quod si hodièque sunt a-  
liqui , tām à testamentis alieni , ut eos neque ratio ,  
neque utilitas , nec exempla à majorum institutis  
revocare potuerint ; non tamen auctoritatem quam  
laudavimus ullo modo convellere possunt ; cum  
testantibus faveat potior gentium nationumque  
pars ; quarum conspiratio , ad constitutionem juris  
satis pollens potensque est : neque paucorum indi-  
get , qui civilem magis & suam , quam communem  
humani generis utilitatem sequuntur . Quanquam si  
verum fateri libet , ipsi illi qui testamenta damnāt ,  
grande sententiæ nostræ documentum præbeant :  
Quæ enim damnant , tacentes & inviti laudant ,  
cum partium usum retinent : cum legata atque fi-  
deicommissa codicillis , qui testamenti pars sunt ,  
relinquunt : aut cum naturali ratione unum & sim-  
plex esset omnium patrimonium , magno juris lu-  
dibrio duplex commenti sunt ; alterum mobilium ,

## ANTONII MATTHAEI

alterum mobilium , alterum immobilia rerum :  
Et prædia quidem cum testātis arbitrio exemissent,  
de reliquis ratione victi , utilitate expugnati te-  
ftari permiserunt. Verūm repetunt illi quod ante  
dixerant , iniquum & indignum esse , ut legitimos  
quos sanguinis necessitudo ad successionem vocat,  
scripti heredes extranei excludant : æquum esse ut  
qua quisque lege familiam accepit , eadem ad po-  
steros transmittat. Ut aliquid illis largiamur , con-  
cedant nobis vicissim necesse est , multo iniquius &  
indignius esse dominum in extremo vitæ constitu-  
tum , acerba invisi heredis cogitatione differri ; nec  
posse præteritis ingratis , incorrupto judicio quæ-  
rere dignissimum cui familiam tradat : cum nihil  
sit naturali rationi magis conveniens , quām volun-  
tatem domini rem suam in aliū transferre volen-  
tis ratam haberi. Atque ut minus id iniquum vi-  
deatur , cum majorum virtute bona parta sunt ; ne-  
mo tamen negabit iniquissimum esse , quoties res  
non à majoribus relicta , sed industria defuncti  
quæsita est. Fingamus enim gnavum è plebe ho-  
minem , cui natura nil melius quām ingenium , pa-  
ter præter libertatem nihil reliquerit ; ingenium  
in quæstum contulisse , libertatem industriæ incita-  
mentum habuisse ; opes sibi parasse ingentes : Insta-  
re seni cognatos , orare , obsecrare , ne testamentum  
faciat : æquum esse , ut totum quod habet , in fami-  
lia & gente permaneat. Illum contra : Sua nō gen-  
tis.

O R A T I O.

tis bona esse, suo sudore & labore parta; à se diætas, pistrinum, & horrea ædificata; suo impēdio fundos & instructos & ornatos esse. Æquius esse, ut cū nihil relictum, omnia parta; cum liberi nulli sint, propinqui ingratii, judicio sibi heredem instituat, non legis arbitrio capiat. Hanc postulationem quis non aliquanto justiorem existimet? **Quis** non pronis auribus accipiat? Cui autem non exclamare libeat? Euge, Euge senex! facilè palmam habes: vincit tua fabula; victi cognati: quandoquidem & magis ex argumento agis, & versus meliores funditas. **Quid** ergo? si & hoc iniquum est, dominum non posse testamento heredem scribere; & illud indignū, extraneis scriptis cognatū præteriri; quid tandem dicemus? num secū natura dissidet? num ratio cū ratione pugnat? Minimè verò nam si recta lege componantur, non modò nulla dissensio, sed & maxima rationum consensio & cōvenientia parebit. Prima testati causa esto, pro qua summa ratio militat, ut domino statuere de re sua quod libet liceat. Secunda intestati, ut si dominus de re sua nihil statuerit, tūm ad eos ea devolvatur, quibus cognitionis nomē patrocinatur. Nec tamen usq; adeò testati causa prima & antiqua nobis est, ut & stulta quorūlibet judicia pro lege habeamus. Suus est apud nos sanguini honos; nec quisquam impunè aut liberos exheredaverit, aut parentes præterierit: consanguineos quoq; turpibus personis anteferimus. **Quod** ad reliquos cognatos

ANTONII MATTAEI

attinet, non jus nobis, sed conscientiæ stimulus dicitat, uti ne bene convenientes postponantur iis, qui nec sanguine, nec ullis officiis aut meritis nos adsecuti sunt. Ut amicis & bene meritis potiores sint, aut eorum causa homini libero, & domino, & morituro testamenti factio adimatur, nulla ratio efficit: quoniam palam iniquum & injuriosum est. Si quidem recte sapientes ita differuerunt: Leviore reprehensione propinquum quam amicum negligi; quia alterius præteritio iniquitatis, alterius diremptio etiam levitatis criminis subjecta sit: Sanctius atque potentius esse nascendi sorte amicitiæ vinculum, quia possit & malus, & ingratus nasci: ingratus idem atque amicus esse possit nemo. Atquin difficilis, inquiunt, & valde senticosa est illa de testamentis prudentia: ediscendæ diutius inhærendum est quam Græci ad Trojam, aut Romani ad Vejos hæserunt. Ipsa illa nomina substitutio-nes, conjunctiones, Falcidia, Trebellianum, & hujuscet farinæ multa obscura valde & salebrosa sunt; nec quicquam ex his sine magistro adsequi possumus, cum in sensum & communes notitias non cadant, nec communibus intelligentiis aut ratiocinatione percipientur. Præclarum mehercè judicium! & fœno dignum acumen! Si quid difficile, id inutile; si quid arduum id noxiū habendum: ac non potius cum sapientibus ita judicandum; difficultia esse quæ pulchra: virtutem ipsam quæ tota pulcher-

O R A T I O.

pulcherrima est , difficillimam esse ; nec ad eam eniti posse , quorum mens juxta ac corpus humi repit. Habet prudentia nostra quæ futores non capiunt : habet quæ lippos & tonsores latent ; quibus elucidandis interpres necessarius est. Iure suo habet , nec metuit culpari ; cum non possit non tanquam pulcherrima superare plebejarum mentium captū & modū. Id ipsum autem , quod omnino superet , nemo queretur ; nisi fortè cui cum vulgo mens est ; cui dux vitæ non animus sed libido fuit , qua paulisper usus , ubi per socordiam vires tempus difluxere , sapientiæ difficultatem accusat , suam auctor culpam transfert ad negotia ; neque animadvertisit , artem ferè nullam esse , neque divinæ , neque humanæ rei , quæ non aliqua in cognoscendo difficultate glorietur. Dialecticos & Physicos audiamus ; nonne iis utuntur verbis , quæ nec Latium , nec Græcia sine interprete intelligit ? Nonne suo quodam more loquuntur Geometræ , Musici , Grammatici ? Rethores verò , tametsi artes eorum sunt totæ forenses atque populares , tamen quum vocabulis in dicendo quasi privatis utuntur & suis , quis intelligit , nisi qui in ipsorum Scholis sit exercitatus ? Atque ut omittam has artes elegantes & ingenuas , ne opifices quidem artificia sua vulgatis produnt verbis : multis utuntur nobis incognitis , usitatis sibi. Quinetiam agricultura , quæ abhorret ab omni politiore elegantia , nihilominus eas res

in

## ANTONII MATHAEI

in quibus versatur , nominibus notat ab usu com-  
muni remotis. Hæc cum ita sint, nemo tamen fa-  
næ mentis, cum in illorum hominum scholas vene-  
rit, præsumta judicandi licentia, ausit obscura dam-  
nare , salebrosa execrari : Nec quisquam opifices  
ridet , aut villicis negotium facessit , cum de rebus  
suis suo quodam more loquentes audit. Si igitur fa-  
bris succenset nemo, si rhetores laudamus, philoso-  
phis plaudimus , tum cum in differendo quamlibet  
difficiles & perplexi sūt: cur I.C.<sup>tis</sup> irascimur, quod  
supra captum leges sint ? quod intorta quædam &  
intricata disputent? Cur aliquid nescire pudet? Cur  
totum damnas, cuius particulæ quædam te fallunt?  
ac nō potius magna sapientiæ opinione ita judicas:  
Si præclara sunt quæ intelligimus , posse etiam illa  
præclara esse, quæ non intelligimus. Temeritas est  
damnare quod ignores, cum possit latere: cōtra laus  
ingens fateri quod nescias, si sit ejus rei docta igno-  
rantia. Hæc secum perpēdere debuerant, qui cruda  
adhuc juris Romani studia in publicū propellunt ;  
dein plebis suffragiis in Deos relati , una cum for-  
tuna animos ac superbiam sumunt , & quæcunque  
ad ipsorum gustum non sunt, ante damnant, quam  
cujusmodi ea sint perspexerint : Neque persuaderi  
sibi patiuntur , festinationem multos etiam bonos  
peſſundedisse ; qui tardam cum securitate famam  
aspernati , præmaturam cum dedecore consecuti  
sunt. Verūm postquam hisce rationibus pervince-  
re ne-

re nequiverunt, ad extremum utilitate pugnant, & commodis superiores se fore confidunt. Sublatis, inquiunt, testamentis obviam ibitur fraudulentē & insidiosæ orborum captationi, quam veteres Satyri nunquam satis exagitasse sibi visæ sunt; Nemo suppressa aut supposita testamēta audiet. Nemo scele-  
ris libidinisve prēmia amplissimas hereditates vide-  
bit. Nec tyrānū quisquam metuet, ne filētiū criminī  
imputet, aut majestatem præteritione queratur mi-  
nutam. Vt postremū hunc adversariorū impetū frā-  
gam, nō est quod magnopere allaborem: manifestū  
est enim homines dū nimio nocēdi studio transver-  
si rapiuntur, non advertisse sapiētibus animū; qui,  
quoties de honesto & utili proposita disputatio est,  
separari jubent hominū vitia ab iis quæ rerum sunt:  
cōmoda verò cū incōmodis ita cōferri præcipiunt,  
ut pēsatis utrisq; pareat, utrum res utilitate probā-  
da, an exitij metu damnanda sit. Horū vestigiis si in-  
stitissent, facile animadvertisserent, primū quidem  
incōmoda testamētorū si quæ sunt, collatis commo-  
dis ea ubertate pensari, ut ratio istorum haberis nul-  
la possit. Dein illa ipsa quæ memorant captata, sup-  
pressa, supposita, rescissa testamenta, non prudentiē  
civilis, sed hominū crima esse; quos ad summa cę-  
teroquin natos, insatiabilis honoris & pecuniarum  
cupiditas extimulabat: vitium ejusmodi, ut qui eo  
laborant, his nihil tam sanctum atque solenne sit,  
quod non comminuere atq; violare soleant. Hujus  
rei argumenta si quærunt, fidem facient nō tantū

A N T O N I I M A T T H A E I

illi ipsi male nobis objecti Satyrici, qui corrupti seculi mores, non sapientiae crimina exagitant: sed & illae provinciae, quarum indigenae diverso ab ultimis Romanorum ingenio sunt: qui licet testamenta probant, rarissimas tamen audiunt de suppressis aut adulteratis querelas: nec quisquam principem praeterire metuit, cum periculum ne mali quidem faceant, nedum mediocres aut boni. Si igitur hominum objecta crimina sunt, cur rebus imputantur? Si alterius ævi fabes, cur nostro aspergitur? ac nō potius ipsi illi culpantur, qui rebus bonis in occasionem sceleris usi sunt? Quod si verò propter abusum usus quoque è medio tollendus est, tollamus eodem edicto codicillos, instrumenta dotalia, rationes, chirographa, & hujuscē generis alia: possunt enim supprimi; possunt adulterari: potest liberalitas scribentis turpi officio provocari: irasci potest Cæsar, si nil sibi legatum senserit. Quid? aqua, & igne, & si quæ alia Dei immortalis munera sunt, nonne abuti mortales improbi possunt? idcirco bonis quisquam his interdixerit? Quin maneat usus; tollatur abusus: ne si secus fecerimus, non testamentis solum & codicillis; sed & igne, & aqua, & Sole, & cœlo, & ut verbo dicam, rebus divinis humanisque omnibus nobis carendum sit. Eant nunc adversarij nostri! rixentur cum seculo & moribus! conquerant æternæ urbis flagitia! proscindant conviciis utrumque ordinem & sexum! Capitarit

tarit orborum testamenta Gargilianus. Meruerit  
 noctibus hereditates Gillo. Irrepperit in locuple-  
 tum tabulas Crispinus. Extulerit nigros maritos  
 Locusta. Provenerit hinc Mathonis lectica, & cē-  
 tum causidicorum patrimonia. Quæ fæx delique-  
 rit Romuli, hæc sapientiæ crima sint? Quod Vir-  
 ro, quod Dama, quod Coranus designarint, hoc tu  
 non auctoribus sed rebus impingas? Iste aequum  
 tibi videtur? Sic recta ratio præcipit? Ita sapien-  
 tes facere, ita differere solent? O mentes hominū  
 perversas! O libidinem ingeniorum effrænatam &  
 indomitam! Quid est, si non hæc calumnia est? V-  
 num hoc (A.O.) argumentum cognoscite; cognos-  
 veritis in omnibus, non tam odio criminum ad ac-  
 cusandum, quam accusandi studio ad crimina de-  
 scensum esse: ita homines odio & ambitione præ-  
 cipites, dum nocere volunt, nihil pensi moderati-  
 que habent: melius, pejus; profit, obsit, nil vident  
 nisi quod lubet. Itaque ne diutius aut cum hisce in-  
 geniis conflicter, aut patientia vestra abutar, tem-  
 poris simul atque operæ compendium faciam, &  
 quæ supersunt accusationis capita strictissimè per-  
 curram. Absurdum est, inquiunt, quod juris vestri  
 conditores scribunt, condemnatum judicio publi-  
 co ex quacunque causa fieri infamem: condemna-  
 tum judicio privato, tametsi ex eadem vel gravio-  
 re causa non fieri infamem. Ostentare voluit jus  
 nostrum non modò severitatis, sed etiam clemen-  
 tiæ

## ANTONII MATHAEI

tiæ documenta, cum ex eadem causa duplex judiciorum genus comparavit : privatum mitius : publicum gravius : qua in re peccati nihil est, laudis plurimum. Permittit jus vestrum circumscriptiones interpretio ; quas vera non simulata philosophia damnat. Aliter enim leges; aliter philosophi tollunt astutias. Leges, quatenus manu rem tenere possunt : philosophi, quatenus ratione & intelligentia. Itaq; quod vetare nequit, intactum relinquit sanctio ; ne si vetare velit, commercia hominum dissipet & disturbet. Tolerat legislator concubinatum & meretricias conjunctiones. Nempe, laudem fortasse noti meretur, at veniam æquissimis precibus orat ; dum satius existimat non tangere adulta & prævalida vitia; quam frustra tentatis remediis palam facere, quibus flagitiis Quirites impares sint. Ita exagitanda sunt crimina, ne noceat reip. nimia virtus, & antiquus rigor, cui in magno populo, in multis hominibus, re placida atque otiosa, vietiis hostibus plerumque pares non sumus. Ius vestrum nil nisi farrago legum est. Sic videtur insipientibus, qui non nisi corporis oculis utuntur. Si aciem animi intendas, invenies artem illam pulcherrimam, quam Cæsar quondam animo concepit; Gajus expressit; Iustinianus delineavit. Per tot annos statuere non potuistis, rem an litem, judicem an arbitrum, diem tertium an perendinum dici oportet. Si statuere id existimas invenire non potuif-  
fe, cur

O R A T I O.

se, cur tam diligenter erras? Sin convenire non potuisse, cur exprobras? Non enim convenire; vix invenire non potuisse probrum est. Invenisse quis neget? Non convenisse quis miretur? nisi forte qui non animadvertisit, quemadmodum in facilibus ab imperitis; ita in difficultibus à peritis sàpè discessiones fieri: Et fieri tamen à Iurisconsultis parcè; quorum discordiæ duarum solum; cum plurimùm trium sectarum inveniuntur. Hæc sunt quæ jurisprudentiæ Romanæ objiciuntur crimina! Hæc ingentia illa flagitia, ob quæ aqua & igne illi interdictum cupiunt! Quæ cum sint tamen facile confutata, quid superest A. O. nisi ut tabella vestra reæ salutem, accusatoribus pudorem adferat? Audiant solenne illud N O N P R O B A S T I S, quicunque temerè in innocentis caput inscripserint. Habeamus pro re præjudicata illam disertissimi oratoris sententiam: Præter Romanum inconditum esse ac penè ridiculum omne jus civile: Quirites, quanto in bellis gerendis fortitudine? tanto in jure constituendo sapientia reliquos mortales anteisse. Nihil Lycurgi, nihil Draconis aut Solonis legislationes habent, quod cum hac nostra contendere possint: nedum novis hominibus quicquam suppetit, cuius causa paulo minus barbara suorum instituta excellen-tissimis Romanorum legibus anteferre debeant.

O 3

Quid

Quid est enim, quod tam cupidè reprehendunt? quod tanta vi oppugnant? cuius concussi laudem, eversi gloriam quærunt? Testamenta, & ultimæ moritrorum preces: res nimirum ejusmodi, quam uti civilis simul & naturalis ratio defendit, ita usus insignis & utilitas commendat. Reliqua quoq; quæ carpunt ejus generis, ut peccati in his aut nihil, aut parū sit; prudentiæ plurimum: adeò vel utilitate latent, vel necessitate excusantur. Ac si qua in universo jure hujusmodi sunt, ut culpæ quam laudi propiora videantur, paucissima sunt & perpusilla; propter quæ pulcherrima Dea non magis damna-ri, quam Venus potest; in cuius sandalio qui erant nævi, cœlesti corporis fulgore & venustate facile obumbrabantur. Et sanè cum adversarij nostri ex libris diffusissimis, tanto nocendi studio, tam pauca quæ culpent reperiunt; quantam rerum præstantif- simarum multitudinem vel tacentes & inviti laudant? Cum tam levis & inepta cupidissimorum accusatorum criminatio est; quanta contra innocentissimæ sapientiæ integritas & pulchritudo erit? Fremant omnes licet, dicam liberè quod sentio: bibliothecas meherclè eorum omnes unus mihi vi- detur Institutionum libellus & autoritatis ponde- re, & utilitatis ubertate longè superare: cui si quis prudentum responsa, & sacratissimas Cœsarum con- stitutiones junxerit; nec partem legitimæ scientiæ ullam desiderabit, nec in cognoscendo varietatem aut

aut delectationem requiret. Si quem aliena studia capiunt, plurima est in omni jure civili antiquitatis effigies, & prisca verborum vetustas. Sive quem ista præpotens & gloria philosophia delectat, dicam audacius, hosce habet fontes omnium disputationum suarum, qui jure civili & legibus continentur. Sive quis ipsam civilem sapientiam requirat, totam hanc bene descriptis omnibus civitatis utilitatibus & partibus libris nostris contineri videt. Neque enim intra privatrum causarum limites consistit, tametsi hi ipsi satis ampli & spaciose sunt: nec de tigno solùm juncto, aut aqua pluvia arcenda, aut finibus regundis, & familia erciscunda sollicita est, uti pueriliter nonnulli garriunt: sed & statum ipsius civitatis tuetur; sacra, sacerdotes, magistratus, collegia constituit; belli pacisque jura condit: quibus de rebus amplissimis, quicunq; multis retrò seculis præclari aliquid literis prodiderunt, ex nostris fontibus vel bona, vel mala fide habent. Denique justitia ipsa sicuti Hespero atque Lucifero pulchrior est; ita hæc sapientia, quæ illam universam sibi propositam habet pulcherrima est. Digna profecto cuius cognitio summo semper apud Romanos in honore esset; quam principes civitatis quasi heredium aut possessionem suam magno studio excolerent. Digna quam barbarorum eruptionibus sepultam Lotharius ab orco revocaret; quam omnes gentes paulo humaniores, etiam procul-

## ANTONII MATTHEI

cultatis fascibus ad usum & decus retinerent. Digna denique cui Senatus quoque ac Pop. Ultraje-  
stinus æternam in urbe sua sedem destinaret ; cu-  
jus interpretes publico auctoramento constitue-  
ret. Ac mihi quidem , Coss. & Senatores civitatis  
amplissimi , ut ante quam finiam pro me quoque  
pauca dicam, quoties in mentem venit præclara il-  
la vestra voluntas , & pulcherrimum hoc institu-  
tum , non possum non vehementer gaudere ; cum  
video non Deam modò , sed & mystas ejus jure ci-  
vitatis vestræ honorari. Atque uti vehementer  
gaudeo , ita non minus opto Dei immortalis mu-  
nere nunc vobis donari Ælium aliquem, aut Scœvo-  
lam , aut Sulpitium ; id est , senem antiqua virtute  
& doctrina ; cuius domus consilium, vox oraculum  
melioris juventutis sit ; qui instar Pythij Apolli-  
nis publicarum privatarumque rerum certos ex  
incertis facere , atque hoc Astrææ sacrarium ma-  
xima nobilissimorum juvenum frequentia cotidie  
celebrare possit. Næ vos pulcherrimos præclaræ  
voluntatis vestræ fructus consequeremini , illam-  
que generosiorem juventutem , cuius bona pariter  
ac mala ad rempubl. pertinent, iis præsidiis qui-  
bus illa gubernari vult instructam haberetis. Post-  
quam me hominem nec annis gravem , nec usu  
satis firmatum ad difficilimam hanc provinciam  
evocasti , non potest non animus inter spem me-  
tumque suspensus vehementer fluctuare. Sive enim

vos,

O R A T I O .

vos vestramque civitatem intucor , ea magnitudo  
est , uti summa omnia postulet : Sive me meamque  
ætatem respicio , is profectus est , uti modica tan-  
tum exigi flagitet : Sive ipsum jus civile coconsidero,  
fuit quidem id docere semper pulchrum in urbe ;  
sed & arduum fuit , nec nisi nobilissimorum homi-  
nuni munus : qui cum animum intendunt , seu re-  
ctè , seu perperam facere cœperunt , ita insigniter  
in utroq; excellūt , ut nemo nostro loco natus adse-  
qui possit . Veruntamen cum humanitatis vestræ re-  
cordor , qua quæ modica mihi erant , ut magna suspe-  
xistis , labentem timore animum spes revocat , &  
quodammodo persuadet ; eos qui in me ornando  
fuere faciles , in probandis studiis & laboribus fu-  
turos non difficiles . Hac , confidentia fretus , quo  
minus ingenio possum , subsidio mihi diligentiam  
comparabo : quam si adhibuero , atque ad eam ac-  
cesserit vestra æquanimitas , quæ præsidium sit no-  
stræ tenuitati , non metuam , ne frustra speraverim .  
Adferet autem æquum animum , quicunque in eum  
inducere poterit , omnibus in bonis rebus conatum  
in laude , effectum in casu esse : Satis spectatam il-  
lius indolem , qui cum non possint primi esse om-  
nes in omni ætate , id sedulo caverit , ne suapte  
culpa inter postremos haberetur . Nec quisquam  
senectutem requiret , qui cogitaverit , displicuisse  
virtuti annales leges ; nec soli canitudini comi-

P

tem

ANTONII MATTHAEI ORATIO.

tem esse sapientiam: Denique non rugare frontem antequam nituerit, hos omnes quos senes admiramus, quondam juvenes fuisse, eumque qui nunc inter exempla est, olim exemplis se defendisse.

D I X I.

ANTO-

ANTONII AEMILII

*Professoris Historiarum*

O R A T I O

I N A V G V R A L I S

D E

**Novo hoc & laudabili Senatus**

instituto : Nec non de usu lectionis historicæ.

VOD BONUM , FELIX,  
FORTUNATUMQUE SIT,  
omnibus rebus agendis præfari so-  
let veneranda antiquitas : quo equi-  
dem fausto omine non aliud in præ-  
sens auspicatius meæ apud vos ora-  
tionis anteloquium reperio. Et sa-  
nè, ni me fallit augurium , lœtissimus hic, & candi-  
dissimo nobis omnibus notandus calculo , illuxit  
dies , quo literis & sapientiæ , quam augustissimam  
aspicitis ædem , communibus votis consecraturi ,  
atque illustris hujus Minervij quasi natalem pro-  
pensis studiis agitaturi , frequentes in unum conve-  
nimus. Etsi autem multa animo , multa oculis ob-  
versantur, quæ dicere incipienti omnem pene ex a-

ANTONII ÄMILII

nimo fiduciam expectorant; quòd de argumento tam gravi & ponderoso, apud aures tam teretes & religiosas, in amplissimo clarorum virorum theatro, in celebri & inusitatâ eruditorum coronâ, in ore atque oculis tantæ frequentiæ verba facturus sum: ingens tamen & prope singularis in literas pariter & literatos favor vester & studium, me ob-stupidum, & quasi de statu dejectum rursus in gradum reponit: quâ benevolentiâ vestrâ erectus nullius obtrectatoris Theoninum dentem, non Cato-nis censorium supercilium, imò ne centumvirale quidem judicium extimescam.

Ac prima quidem de præclaro Amplissimi Senatus instituto; de privato autem ac meo, historiarum nempe incredibili utilitate, reliqua nobis futura est oratio. Quare, ut in sacris fieri assolet, animis jux-ta atque linguis ut faveatis breviter dicturo, rogò.

Quid res esse videantur, Auditores, nemo pro-pe nescit: quid sint, pauci sciunt, aut scire laborant, iis haud absimiles, qui cancros esitant, in crustis potissimum occupati, dum esculenti parum inveniunt. Soli sapientes, peniore judicio omnia tru-tinantes, omnibus rebus personam demunt, atque ipsam spectant faciem, haut secus quām prudentes equisones, qui equum à mangone empturientes, non phaleras aut balthei inspiciunt polimina, non ornatissimæ cervicis contemplantur divitias: ve-rūm positis his exuviiis, omniisque amoto lenocinio,  
& quic-

## O R A T I O.

& quicquid inanem mentitur saginam , ipsum corporis decorum habitum, gressum compositum, crurumque volumina , & generosum ferocientis spiritum, attento animo contuentur. Atque eò profecto turpius est, non idem nos factitare, in contemplando magno illo animali pleno rationis , quem vocamus hominem , passim obvium , plerisque tamen ignotum. Vulgus quippe opibus, honoribus , atque externo eum metitur cultu, non verum , sed personatum hominem æstimans : quo errore fit, ut perraro intra sortem suam , plurimum infra eam positum videamus. Est ubi rixantem & de finibus ambigentem ; alibi clausis thesauris incubantem , aut inter peccinem & speculum occupatum invenias, hoc est, aliud agentem, aut male agentem, sepiissimè nihil agentem : &, quæ hostilium armorum iniquitas est , passim alienâ viventem misericordiâ cernere est , focis & penatibus expulsum , & toto prope orbe Christiano ( ne Barbaros dicam ) tam facile trucidari, quam canis exta edit : quia nempe hoc novissimo senescentis mundi seculo , cum aliis, tum sibimet adhuc incognitus homo est : rei autem ignorantæ minus semper fuit pretium. Quodsi paullò humanior quis forte existat, membra ejus & totius corporis filum inspiciet , viscera etiam interiora scrutabitur : quæ omnia ejuscemodi sunt , ut quod rimentur anatomici, semper habeant; quod ruspen-  
tur medici, semper inveniant; quod stupeant natu-

## ANTONII AEMILI

ræ consulti , aliud atque aliud semper offendant : quod omnes deniq; veneremur in hoc summo summi Numinis opere, nunquam defuturum sit. Quod illi soli non nesciunt , qui ex sapientum disciplinis, hominem in hoc pulcherrimo mundi domicilio secundas fortiri , eundemque cœu universitatis compendium contemplantes, mundum hunc, magnum hominem ; hominem verò , parvum mundum esse, didicerunt : cuius licet per omnes diffusam artus vim præcipuam, animum dico, quia his oculis non cernimus , multi ignoramus : pauci, quid possit dux ille atque imperator vitæ mortalium, ponderamus: cuius stupendam vim soli sapiētes jam inde ab omni ævo penetrare satagunt. Præcipe Oceanum trānet, celerrimè illic erit : non aves, non venti citius. Iube in cœlum evolet , nihil obstabit, non immensum spatium, non solis ardor , non syderum occursus, quin ad extimam pervolet naturam, imò extra eam , ad suum, qui finxit , raptus opificem Deum. Quin etiam usque eò progreditur , ut non modò telluris & cœli , atque orbis universi mensura ad digitos veniat, verūm etiam pedem extra terræ solum , ubi figat, sibi poscere, totumque hunc, quem calcamus mundi globum , sede suâ sollicitare sustineat : quod de magno illo naturæ miraculo Archimede accepimus : adeò ut Plato aliquem Dæmona hujus corporis incolam ; Seneca Deum in humano hospitantem corpore dixerit. Verūm enim-

O R A T I O.

nimirò, quam diximus vim animi immēsam, tum  
demum in nobis experimur, cùm eam, quæ solo na-  
turæ impulsu effrenis, & cæco fertur impetu, do-  
ctrina moderatur, quâ sine etiam post juventam &  
hos canos (venia sit dicto) in nobis mansura pueri-  
litas est, quodque illis minusculis, idem quoque no-  
bis velut majusculis pueris eveniet, ut vagi incerti-  
que etiam in montes offendamus, etiam in sole ca-  
ligemus, neque unquam, quid *distent æra lupinis,*  
sciamus, haut magis quâm illi, qui nondum ære la-  
vantur: quodque omnium miserrimum & nobis  
indignum, inter inanima à sapientibus censebimus,  
apud quos vita sine literis mors est, & vivi hominis  
sepultura.

Propterea prudenter censuere primores civi-  
tatis, ut ad reliquum florentissimæ Reipublicæ  
suae splendorem atque ornamentum, illis quoque  
disciplinis & literis, quas jam inde ab urbis hujus  
incunabulis, quantum memoriâ præterita repetere  
possum, optimus quisq; civium amavit, ut qui ma-  
xime, atque excoluit, ut qui religiosissime, illis, in-  
quam, Musis publicum tandem delubrum confe-  
craretur. Occultæ quippe Musicæ nullus respectus,  
verbum vetus est. Atque ita dubio procul omnibus  
numeris absolutum civitatis decus futurum est, si-  
ne exceptione ab omnibus jam laudandum & præ-  
dicandum, prudentissimique Reipublicæ præfides,  
tam præclaro, tam honesto & fructuoso instituto,  
omne

## ANTONII AEMILI

omne omnino apud omnes punctum sunt laturi,  
eos præsertim , qui non sunt nescij , quod pretium  
his artibus posuerit sapientissima antiquitas. Cùm  
enim duabus præcipue rebus mortales gloriam  
semper quæsiverint,belli & literarum laudibus,ipſi  
viri principes,atq; inter eos ambitiosissimi quique,  
& rerum gestarum gloriâ maximè conspicui , om-  
nem splendorem & majestatem , tót victoriis , tot  
triumphis partam , optimarum artium claritudini  
longè posthabuere. Cæſar dictator M. Tullium,  
cujus hostis erat , lauream omnibus triumphis tan-  
tò majorem adeptum pronunciavit, quantò plus e-  
rat ingenij Romani terminos promovisse , quām  
imperij. Magnus itidem Pompejus gener hujus at-  
que æmulus , quem per omnia fortunam hominis  
egressum memorat Paterculus,confecto Mithrida-  
tico bello, intraturus Posidonij sapientiæ professio-  
ne clari domum,fores percuti de more à lictore ve-  
tuit, & fasces lictorios januæ submisit is , cui se O-  
riens Occidensque submiserat. Magnum profecto  
& grave maximorum in Rep. virorum de his lite-  
ris testimonium : ad quorum magnitudinem exin-  
de quò propius accessere cæteri viri principes ,  
tanto impensis id egerunt , ut ab eorum laudabili  
exemplo quām proximè abeſſent. Ita Carolum il-  
lum Magnum , Auditores , haut satis habuisse ac-  
cepimus, regni diadema cum aquilâ conjunxit,ſi  
non itidem utramque Palladem , bellicam illam &  
& to-

## O R A T I O .

& togatam , hoc est , militarem gloriam & literariam sociasset , in urbe , quæ regni caput , ædem eidem consecrando , quod gymnasium posteri ejus reges plus plusque ornatum celeberrimum reddidere : imprimis Franciscus primus , qui eopse fere tempore , quo post foëdam barbariem Maximilianus in Germaniâ , Leo X. in Italiâ , primi ad bene sperrandum de re literariâ quasi signum sustulere , suis opibus & copiis errantes toto pene orbe Musas cōvocavit , quas intra regni pomœria receptas , perpetuas velut custodes , & tanquam firmissima imperij pignora , atque invictum Palladium sibi fore rebatur . Iisdem patrum memoriâ terræ Hollandiæ primores , inter tubas & armorum strepitus , eâ in urbe asylum aperuere , quæ virtute & bellici laboris inusitatâ toleratiâ , tutissimam adversus omnem hostilem vim anxiis & trepidantibus literis stationem promittere videbatur . Quorum exemplo & aliarum civitatum proceres , atque hujuscet , quam magis magisque omni virtutum genere in dies efflorescere cernimus , urbis primores , longius jam submoto hoste , & detumescentibus in propinquuo belli fluctibus , quamvis subtillo adhuc cœlo , receptum & publicum perfugium iis disciplinis dedere , à quibus tam in sago , quam in togâ , omne consilium domi militiæque petendum esse arbitrantur , ex maximi philosophi nempe sententiâ , qui tum denique beatas fore Respublicas putavit , si aut docti & sa-

Q

pientes

pientes homines eas regere cœpissent, aut qui rege-  
rent, omne suum studium in doctrinâ & sapientiâ  
collocassent. Non ex trivio scilicet, aut circa ma-  
ximo, obvium quemq; sed ex doctissimis Musarum  
umbraculis in pulverem & solem protractos juve-  
nes, & mox rerum usu & prudentiâ instructos vi-  
ros, & majoribus honoribus jam maturos, Reipu-  
blicæ admovendos esse, princeps ille ingenij & do-  
ctrinæ Plato verissimè judicabat. Quare Philippus  
ille Macedo, filium suum sub magno præceptore  
" magnum fore ratus, *Habeo Dis immortalibus gratiam,*  
" inquiebat Aristoteli, *non proinde quia natus est mihi*  
" *filius, quam pro eo quod temporibus tuis nasci eum conti-*  
" *git: spero enim fore, ut eductus eruditusque abs te, di-*  
" *gnus olim existat & nobis, & iistarum successione rerum.*  
Quare non aliam viro principe, iisque qui re-  
rum potiuntur, digniorem curam putem, quam  
ut literarum cultores in suam clientelam recipi-  
ant, sapientissimæ antiquitatis exemplo, quæ non  
temere Herculem fecit Musageten: cui inter Ro-  
manos Fulvius Nobilior Musarum simulacra con-  
secrasse, communi æde dedicatâ, perhibetur, non  
obscure innuens, summorum virorū patrocinio su-  
am literis & doctrinæ constare auctoritatem. Mi-  
rum igitur neutquam videri debet, Amplissimum  
Senatum novo atque inusitato loco his scientiis &  
artibus ædem publicam dedicasse: in quam non  
invitæ, si bene calculum pono, unde quavorsum

com-

## O R A T I O.

commigraturæ sunt artium præsides Musæ , quò  
præter maximum civum jam inde ab omni ævo  
præcipuum erga literas amorem , vel ipsius urbis  
splendor non nuperus , sed perantiquus; & loci ge-  
nius eas pellicere videtur. Libero ore loquar, opti-  
mi cives , qui nihil auribus cujusquam dare soleo,  
opportunam iis hanc præ cæteris sedem , gratissi-  
mumque secessum visum iri , mea fert opinio : ubi  
præter ingentem his sacris initiatorum numerum,  
tot pacis & togæ artibus conspicuos viros , tot lato  
clavo insignes optimates,tot veteris prosapiæ mul-  
tisque imaginibus claras familias , & reliquum ur-  
bis ornatum multiplicem & decus, præter, inquam,  
hæc omnia, suburbana circùm videre est cultissima  
rura, ubi cornucopiam Ceres gestans omnigenam,  
suos pariter colonos, confinesque populos frugibus  
beat cujusquemodi. Hic pubescentibus herbis ri-  
dentes atque ad invidiam usque luxuriantes cernas  
campos , passim erratibus numerofissimis gregibus :  
alibi hortos florum varietate picturatos , & , quod  
præfiscini dixerim, super Abcinoi pometum & Mi-  
dæ rosetum amœnos. Est ubi lenissimis Favonij fla-  
bellis viridantium arborum comæ molliter venti-  
latæ, jucundissimo murmure auribus blandiantur :  
est ubi innumerabilis volucrum vis liquidissimum  
arguto gutture concentum funditans , intimos au-  
dientium sensus incredibili voluptate permulceat :  
adeò ut Flora cum Mellona , Ceres cum Pomona,

ANTONII ÆMILII

Bubona cum Hippónâ, singulæ opum suarum prodigæ certare videantur. Hac propter, quotquot in urbem hanc unquam adventabunt hospites, quotquot famâ internunciâ undique exciti hæc penetralia subibunt lectissimi juvenes, non publicâ voce horsum invitatas Musas, sed ultrò potius, Gratiis passim omnia latè incolentibus, hanc sibi sedem præcæteris edecumasse haud dubiè crediderint; ubi severiorum studiorum intervalla honestio otio dispungendi sit opportunitas; ubi cum Lælio & Scipione, quos subinde post gravissimas Reipublicæ curas, vagas litoribus conchas & umbilicos letitasse accepimus, ad alternam animi remissionem otiose liceat descendere:

*Iusta labori feris tribuaneur ut otia Musis.*

Nec ignorant jam adventantes Musæ, quām propensis omnium procerum studiis, quo omnis etatis hominum gratantium publico applausu, quibus universorum civium faustissimis ominibus excipientes & amplexandæ sint: cuius rei dignitatem & magnitudinem non subrostranos modò & subbasilicanos homines, non juvenes pariter & senes modò, in circulis & semicirculis, passim prædicantes audiatis: verùm etiam, quod caput est, quasi per manus hoc amplissimi ordinis laudabile institutum ultimæ posteritati quisque tradituri sunt, fastisque signatum publicis ad sempiternam memoriam,

*— charta loquetur anus.*

Cum

O R A T I O.

Cùm autem mihi quoq; Auditores , aliqua hujus laboriosę provincię pars publicè sit imposita, ut meam opellam ad hoc præclarum incepturn conferam , enarrando primario historico Corn: Tacito, nostri instituti ratio postulare videtur, ut aliquid ad historiarum commendationem paucis in medium afferamus. Campus magnus & apertus , fateor , mihi datur , in quo latè excurrere possit oratio. Cornucopiæ enim illud esse existimetis, ubi inest quicquid vultis , ut cum comico loquar , ex quo vel lactis gallinacei haustum sperare liceat. Quæ omnia qui percensere cupiat , pulveris idem atque arenarum multitudinem syderumque micantium numerum subducere postulet. Quare omnes ejus utilitates latè diffusas commemorare non est consilium, verùm orationis & patientiæ vestræ operam compēdifaciam, summa contentus delibasse capita.

Quò autem , quam dicam , plus ponderis in animis vestrīs, Auditores, habeat oratio, neque quisquiliās volantes, aut venti spolia memorare, & necio quos parturientes montes, musculum denique omnibus ridendum in lucem edituros , vobis inepitè ostentare videar: id ante omnia admonuisse pretium erit , quantæ auctoritatis apud vos esse debent illi , ex quorum lectione , magnum privatim, multò autem maximum in Rep. fructum legentiibus promittimus. In palliato quidem populo principes historicos, principes in Rep: viros fuisse, Herodo-

ANTONII AEMILI

rodotum, Xenophontem, Polybium, aliosque, nemō paulo humanior ignorat. In togatā itidem gente, qui suos antiquitus annales vel historias nobis prodidere, quibus res posteritatis memoriā dignissimas ab oblivione vindicārunt, non proletarij, aut de pullatā plebe homines fuere, non ex trivio, aut summā caveā, sed ex ipsa orchestrā, aut quatuordecim gradibus, viri honoribus amplissimi, quos ubi omnem in Repub: ætatē contrivissent, historicam illam provinciam haud secus, quam ceteras, in quas cum imperio mittebantur, sortitos credatis. Quos inter qui primi res pop. Romani **Quiritium** consignarunt, pontifices max. fuere, unde & annalibus maximis nomen. Exinde qui secuti sunt, **Fabius Pictor**, **Porcius Cato Censorius**, **Postumius Albinus**, **Sempronius Tuditanus**, **Cæsar dictator**, **Salustius**, **Tranquillus**, **Tacitus**, atque alij innumeri, consulatu, præturā, tribunatu, aliisque summis in Repub. honoribus eos perfundatos esse accepiimus. **Quin** & ipsi principes Romani neutiquam suā majestate indignam hanc habuere provinciam, quos inter Augustum, Tiberium, Claudium, Trajanum, Alexandrum Severum, aliosq; res gestas literis signasse juxta mecum omnes sciunt. Imò nec reges suo diademate hoc munus inferius habuere, **Dionysius Siciliæ**, **Ptolomæus Lagi**, **Ptolomæus Euergetes**, **Ægypti reges**, atque alij, quos nunc memorare supersedeo. Nunc quæ lectionis historicæ, in omni

O R A T I O.

omni prope vitæ & literarum genere , publicè & privatim, præcipua sint commoda, videamus : quarum rerum maxima documenta hæc habeo.

Nihil esse magis cum animis nostris cognatum, nihil esse , quod magis hujus vitæ curas edulcare queat,quām suavem rerum gestarum narrationem, domesticum quisque habemus testem. Vel unâ narratiunculâ plorantem puellum placamus : adolescentes nihil magis avidè lecturiunt : viri passim in foro, in basilicis ; mulierculæ in suis conventiculis non aliâ re otium fallunt : symposiorum & conviviorum omnium præcipuum condimentum fabula est : ominis denique ætatis homines , si quid narratur , inhiantes & sui pene oblitos circumfistere videatis. Quam rem callidè secum reputans Demosthenes , cùm in causâ orandâ publicâ , supinas & jacentes omnium aures animadverteret , fabellam de asini umbrâ narrare cœpit : quâ cùm omnium aures & animos rursus arrectos cerneret , & jam ambitionem pararet , universi Athenienses , ut de eodem argumento porrò narrare pergeret , impensè flagitârunt. Cùm autem fictæ narrationis blandimento animi nostri adeò permulceantur, multò sanè magis nos recreat & reficit rerum gestarum historicâ commemorationis, quas non legere & audire, sed oculis corām cernere, & rebus ipsis immisceri nobis videmur. Duce Miltiade cum Dario quasi congregdimur , cum Xerxe montes complanamus,

cum

ANTONII AEMILI

cum Annibale Alpes penetramus, cum Scipione Carthaginem exscindimus, ipsumque currum triumphalem unā conscendimus: nunc Periclem in Atheniensium concionibus nunc, disertissimū Romuli nepotum M. Tullium in Rostris fulgurantem & tonantem audimus: in omnium denique regum penitioribus consiliis quasi arbitri sedemus. In summā, non alibi, quām in historiis votū suum implere queat Augustinus, qui Romam florentem videre tantopere desiderasse perhibetur. Quæ omnia tantā legentium animos voluptate perfundunt, ut periculum sit, ne in his deliciis, tanquam apud Sirenios scopulos, velint consenescere. Non tamen fanatico isti atque exsensā mente homini consimiles futuri sunt, de quo veteres scripsere, qui cùm quantumcunque esset in urbe & portu commerciorum, suā unius causā fieri stolidē sibi persuaderet, atque omnia istāc in lucro deputaret, nihil præter inanem atq; evanidam inde reportabat delectationem. Lōgē aliter sanè versamur in lectione rerum gestarum, nimirum haud secus quām peregrinantes, qui dum oculos jucundo variarum rerum spectaculo pascunt, multa quoque in usum vītæ, multa in usum patriæ & Reipublicæ in animum recondunt, de quo imprimis mihi in præsens agendum esse duxi.

*Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius, inquit comicus: nos autem, nihil jam prope fieri, quod*

## O R A T I O .

ri , quod non factum sit prius , fidenter pronuncia-  
mus. Quare quicquid ab aliis vel docemur , vel  
monemur , vel facere jubemur , aut ultrò suscipi-  
mus , maximum semper adjumentum omnigena re-  
rum gestarum adferunt exempla , quæ velut in rem  
præsentem nos ducunt , & quod faciendum , factum  
ostendunt prius , idemq; tentandi in cunctabundis  
augent fiduciam : dū viam præēt , premimus & ipsi  
eorundem vestigia , viamque calcamus jam tritam  
ab aliis , quorum vel virtutibus incitatores , vel fla-  
gitiis timidiores , vel periculis reddamur cautores ,  
alienæ fortunæ arbitri , & nostræ correctores . Spe-  
culum quasi habemus omnifarum , in quo imagi-  
nem rerum quarumvis contuemur , non unam , sed  
prope innumeratas , ad quas nostra componamus ,  
haut aliter quam nobilis pictor Zeuxis , qui Iuno-  
nem illam suam graphicè effigiaturus , virgines A-  
grigentinorum formâ maximè insigne conduxit ,  
in singulis , quod pulcherrimum , imitaturus . Philo-  
sophi quidem multa salutaria monita , multa vitæ  
præcepta , quæ sequamur , utiliter præscripsere : ve-  
rū in rebus magnis , de quarum eventu dubite-  
mus , invalida sunt : per singula autem experimen-  
ta , longum iter & periculosum ; breve & efficax per  
exempla , inquit Seneca . Propterea Augustus , au-  
tore Tranquillo , in evolvendis utriusque linguae autori-  
bus , nihil aquæ settabatur , quam exempla publicè vel pri-  
vatim salubria , eaque ad verbum excerpta , aut ad domesti-

R

cos , aut

## ANTONII EMMILII

cos, aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus, plerumque mittebat, prout quique munitione indigerent: cuius rei usus, cum in cæteris rebus, tum in utrâque fortunâ multò maximus est. Rebus quippe supra votum fluentibus, moderatos esse jubet historia; dum velut in scenam producit tot regnum eversiones, tot florentissimarum urbium cadavera: dum Crœsum rogo imponit, Dionysium ad ferulam dejicit, Scipionem à duodecim securibus ad Carthaginieſum catenas præcipitat: dictatorem autem Iulium terrarum dominum (quis nō exhorrefcat?) velut primam Libertati immolandam victimam, non in feralibus campis Philippicis, fatali bellantium areâ, sed in ipsâ, in quâ solus jam regnabat, curiâ, medio senatu, tribus & viginti confossum plagis, & latè omnia sanguine inundantem, omnibus in Rep: impotenter dominantibus spectandum exhibit. Contrà in summâ Fortunæ iniquitate, dum hostem in propinquo minantem, aut intra fines populabundum, imo in patriæ viscera jam grassantem, & cervicibus nostris imminentem, adspectamus; rebus tam arctis, tam afflictis, animum supra fortunam gerere jubet historia, atque in summâ desperatione sperare docet: dum Themistoclem, post exustam à Xerxe urbem Athenarum, adversus tot peditum equitumque nubes, impavidum & mox victorem; Manlium post captam & incensam urbem, in arce Tarpeiâ, quæ folia

O R A T I O .

sola restabat, adversus Gallos incōcussum ; & Martium illum populum, post penetratas à Pœno duce Alpes, post ferales imperio Cannas, inter quiritanum feminarum planētus , inter puellorum lugubres vagitus, intrepidum & invictum, adversus hostem jam muris incubantem , jam portis obequitantem , & tot legionum adhuc stillantem sanguine, nobis in rebus dubiis & creperis ostentat. Hæc profecto, atque alia id genus innumera exempla, rebus prope deploratis & conclamatis, jacentem erigunt, dejectum in gradum reponunt, inermem robore & triplici ære circumdant.

Adde quòd omnium prope rerum gerendarum alieno hic periculo experimentum capere, & prius quām inceptemus , securè eventum explorare licet , instar boni & prudentis naucleri , qui admiculō diarij, quod ab alijs accepit, qui eadem maria ante tentārunt , medias inter rupes , & cæcos scopulos, Scyllam inter & Charybdin, securè navigat. Ita & res gestas aliorum dum attentè lectitamus , non consilia modò , quæ capiuntur , verū etiam prosperos eorundem successus, ut imitemur, notamus : aut si male evenere, velut ex terrâ otioso animo aliorum naufragia intuentes, quod vitemus, observamus. Feliciter enim sapit, qui alieno periculo sapit, verbum vetus est. Quām autem hæc facile, quām parvo labore, quām omnia expeditè cōficiuntur ! Orbem terrarum permeamus, sed absque

ANTONII AEMILI

impendio & discrimine : vastum tranamus Oceānum, sed absque naufragio : plurimas urbes obside-mus, sed extra telja&tum : medias inter acies cum bellantibus congredimur, sed post principia positi: plurimis denique potimur victoriis, sed sine pulve-re, quod ajunt, & sanguine. Quod si celeritatem ne-gotiorum requiratis, quot annos rex regum Aga-memnon expugnādo Ilio, Magnus Alexander per-domando Orienti, Scipiones patrandis bellis Puni-cis, Cæsar Gallico & Britannico impendit, totidem prope horis ea omnia conficiatis. Quarum rerum si nobis ipsis experimenta capienda forent, quo pericula essent subeunda? quantum laboris exant-landum? quot denique seculis opus foret? Themī-stoclem, licet centum & septem annos jam natum, vitę brevitatem incusasse accepimus, ut quam som-nus nobiscum dividat; cuius magna pars vagiendo in cunis, magna inter nuces & crepundia, magna denique in puerili prætexta consumatur, ludendo par impar, aut, *equirando in arundine longâ*. Quantu-lum igitur est, quod omnibus vitæ humanæ functus stipendiis, experiendo senex tandem didiceris? Non si quis cum Priamo dextrâ jam computet annos: non triseclisenex Nestor, non denique, si vel cum Pelia, de quo Græculi fabulantur, aliquoties reco-quamur, ætas nostra parando rerū usui satis fuerit.

Deinde nihil, Auditores, ad rem bene gerendam inflamat acriùs, quām immortalitas nominis.

Magnus:

O R A T I O .

Magnus quippe animus & excelsus, id quod in ter-  
ris maximum putat, semper florentem quærit glo-  
riam: quam sola æternitatis custos promittit histo-  
ria, sola magnæ virtutis memoriam non patitur se-  
nescere. Hæc est Anna Perenna veterum, quæ ex-  
tincto corpore, ingenij decus perenne ab oblivione  
& caligine vindicat. Rapuit triumvir Antonius  
M. Ciceroni vitam, reddidit historia. *Rapuit illi lu-*  
*cem solicitam & ætatem senilem, inquit Paterculus, fa-*  
*mam vero gloriamque factorum & dictorum adeò non*  
*abstulit, ut auxerit. Vivit & vivetque, illo etiam invito,*  
*per omnium seculorum memoriam: dumque hoc rerum*  
*naturæ corpus, quod ille pene solus Romanorum animo li-*  
*stravit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, ma-*  
*nabit incolume, comitem ævi sui laudem Ciceronis trahet*  
*perpetuam.* Propterea Alexander, in Sigæo ad A-  
chillis tumulum cùm adstitisset, fortunatum illum  
prædicabat, qui Homerum virtutis suæ buccinato-  
rem invenisset. Neque aliud majus virtutis suæ in-  
citabulum habuere magnæ illæ animæ, Miltiades,  
Themistocles, horror ille Orientis, quem diximus,  
Alexander, libertatis vindex Lucius Brutus, &

duo fulmina: bella

Scipiæ.

Non alio incitamento novissimum patriæ spiritum  
impenderunt, in fastis & annalibus æternum victu-  
ri, Codrus, Curtius, Decij, aliaque Dñs nianibus de-

ANTONII AEMILI

vota capita : quorum virtutes in historiis velut cō-  
secratas, atque in Deorum numero collocatas vide-  
mus , ut cum Tullio loquar. Quotiescumque  
enim magna illa nomina annalibus inscripta legi-  
mus,totidem cippos,totidem statuas & colosso, ac  
velut arcus triumphales illis erectos, aspectamus ,  
non in foro Attico vel Romano, non in Capitolio,  
aut theatris, quæ vix bina aut terna edurant sēcula;  
non ex saxo aut ære fusili, quæ omnia temporis cō-  
sumit edacitas ; sed , quod his perennius , in perpe-  
tuis rerum gestarum monumentis, in quibus etiam  
nunc Miltiades in campis pugnat Marathoniis,  
Xerxis classem profligat Themistocles, libertatem  
vindicat Brutus , manum amburit Scævola , Car-  
thaginem delet Scipio : quos extra historiam fru-  
stra quæramus. Eam nominis immortalitatem Ar-  
temisia à superbo Mausoleo , Ægypti reges à mi-  
nante in cœlum pyramide , Rhodij à portentoso  
Solis colosso,Magnus Pompejus à suo,quo solo mi-  
nor erat,amplissimo theatro, petivere, nec invenis-  
sent, nisi eadem omnia,quorum nunc nec vola,nec  
vestigium extat , celebrâsset unica æternitatis in  
terris obses historia : quæ si obmutescat , nulla vel  
maximorum heroū futura est memoria , sed omnes  
idem, quod Horatianos illos, haud dubiè manebit  
fatum, qui

*Vixere fortis ante Agamemnona*

*Muli : sed omnes illacrymabiles*

*Urgen-*

O R A T I O .

*Urgentur, ignotique longâ*

*Nocte, carente quia vate sacro.*

Neque id modò ex eo dispendij proveniet , omnis  
memoriæ custodem si tollatis historiam : verùm  
etiam ardor ille virtutis in magno & generoso ani-  
mo frigescet , sublato fortitudinis præmio præci-  
puo. Nihil erit, quo se

*Tollere humo, viderq; virûm volitare per ora.*

Strenuus atque imbellis post cineres juxta æstima-  
buntur : paulum quippe, ut canit lyricus ,

*sepulta distat inertia.*

*Celata virtus.*

Contrà animum addetis sceleri , & tyrannis laxabi-  
tis fibulam , qui cùm , quæ illorum quandoque est  
improbitas , vindicem non metuunt Deum , cum  
Tiberio & Nerone posteritatis reformidant me-  
moriā. Propterea optimi rerum gestarum con-  
ditores, fidem professi, pari libertate virtutes cretâ,  
& turpitudines , carbone notare consuevere ; quod  
utrumque annalium munus esse , verissimè censet  
historicorum ocellus Cornel: Tacitus.

Quantùm verò historiarum lectio iis conducat,  
qui post prima literarum studia , ad album & ru-  
bricas se transferunt , soli nesciunt , qui jurispru-  
dentiam ne de facie quidem nôrunt ; historiam au-  
tem ne pictam quidem unquam videre. Nam à  
quibus , & quo tempore , & quo fine leges primò ro-  
gatax,

ANTONII AEMILI

gatæ, vel abrogatæ, vel de iisdem derogatum, aut obrogatum fuerit, didicisse, plurimum interest jurisconsulti, ut

*juris nodos & legum ænigmata solvat.*

Quibus præterea formulis, quibus conceptis Quiritium verbis, quo solenni carmine, in senatus-consultis, in edictis, in jure dicundo, in juramenti, aliisque id genus publicis rebus, usæ fuerit antiquitas, scire interest juris peritorum: quæ omnia in priscis annalibus utramque faciunt paginam: adeò ut quibus jus prope universum se debere fatentur consulti juris, Romanis videlicet, eorundem historiis istæc quoque, quæ dixi, omnia accepta referant; quos dum jus civile tractant, non alibi quâm in foro Romano, versari credas. Roma quippe

*Armorum legumque parens, quæ fudit in omnes Imperium, primique dedit cunabula juris.*

Cùm autem illum omnes primum habeamus vi-  
rum, qui ipse consulat, quid in rem sit: secundum  
verò eum, qui bene monenti obediatur, utrumq, for-  
mat illa, quæ sola fluctuantem Reip. navim rectè  
moderatur, variisque jactatam procellis salvam in  
portu collocat, civilis prudentia, tam togata, quâm  
militaris: quæ unde optimè paretur, non ignorâ-  
runt viri olim, & nostrâ quoque memoriâ clari, qui  
absolutissimum civilis doctrinæ corpus ex solis hi-  
storicis concinnârunt, in quibus hoc præcipue sa-  
lubre ac frugiferum, *omnis te exempli documenta in il-*  
*lustri*

## ORATIO.

*lustri posita intueri, ut inde eibi tuæque Reip. quod imitare, capias: indidem fædum inceptu, fædum exitu, quod cœtes, prudenter monet T. Livius: quæ si ignoret ad magnos iturus honores, velut in alieno foro versabitur, ad omnia novus & incautus. Quare imperator Alexander apud Lamprid. togæ & militiæ consiliis maximè eos, qui historiam nōssent, delegisse fertur: Lucullus autem ad debellandum Mithridatem & Tigranem, reges id temporis prævalidos, eos potissimum, quos mortuos consiliarios non inscitè quidam dixerat, adhibuisse perhibetur, id haud dubiè secum reputans, usum omnium rerum magistrum hoc fore efficaciorem, quò plurimum esset seculorum: unde Nestori, quem prudissimum facit, tres hominum ætates Homerus attribuit. Non alibi autem, quām in historiis, vivitur diutius: ubi jam inde ab omni ævo tot sæculorum rebus gestis interesse legentibus contingit, tot secretorum arbitris esse licet, tot regnorum arcanæ, tot rerum publicarum archiva introspicere fas est: à quibus omnibus, eum, qui historiarum expers sit, exclusissimum esse necessum est. Neque enim temere alij, quām quos historiæ prodidere, reges, ad penitiora nos admittunt consilia: non aliis, quām quos annales exhibent, principibus viris, à secretis nobis esse licet, à libellis, à memoriâ, ab epistolis: non alijs denique senatus intima patent scrinia, quām quæ rerum gestarum con-*

ANTONII AEMILI

ditores nobis aperiunt. Præter ipsos patres conscriptos uni olim Prætextato Papirio Romanam patuisse curiam accepimus; nunc promiscuè literatis omnibus: non janitor, mihi credite, non apparitor, non lictor publicus, aditu intercludet: quæ profecto non vulgaris prærogativa est.

Cùm autem nulla unquam Respub. si Livio scriptori gravissimo credimus, nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior Romanâ fuerit, ex hujus institutis & rebus gestis, eum, quem diximus, historicę lectionis fructum, atque imprimis civilem prudentiam, optimè parari, juxtā cum viris doctissimis statuimus.

Inter cæteros autem rerum gestarum præcones, ut doctiorum fert opinio, familiam dicit Corn: Tacitus, vir prætorius & consularis, qui ut ætate antiquis illis postumat, ita dignitate, si benè calculum pono, longè anticipat, & majore jure historicorum Romanorum alpha, quām Eratosthenes Cyrenæus olim Græcorum beta, appellari meretur. Scriptor quippe gravis est, atque extra omnem ingenij aleam positus: qui id imprimis serio agit, quod non agit. Neque enim anteacta modo memorat, quæ historici partes sunt, verūm etiam, quid nunc, & in posterum evenire queat, quid à principe bono malōve expectandum, quid cavendum aut sequendū sit, quod viri verè prudentis est, legentem ubiq; docet: qui passim abunde ostendit, se non abstrusi modo

## O R A T I O.

modò & personati principis Tiberij , quem annali  
 iv.<sup>to</sup> obscurum adversus alios , uni Seiano incau-  
 tum intectumque fuisse memorat, verùm etiam cę-  
 terorum omnium interiores fibras, atque ipsa pene-  
 trasse præcordia, non obscure significat : ut non ea  
 modò, quæ palam in oculis omnium gesta sunt, ve-  
 rùm etiam quasi perspicacissimus principum exti-  
 spex , abdita quæque eorum consilia in annales re-  
 tulerit: in quo opere, constricto licet & brevi, mul-  
 tum ubique sanguinis , multum nervorum est : in  
 quo gravis autor, nihil effatur, quod sonet, aut ole-  
 at plebeium : nihil pronunciat, quod non ad un-  
 guem castigatum , nihil quod non cunctante stylo  
 elucubratum, & saepius recocatum, attento animo le-  
 genti appareat. Sive enim sententiarum penitus  
 conceptarum altitudinem , sive civilis prudentiæ  
 monita , sive denique totius narrationis & argutæ  
 dictionis spectemus filum , mihi equidem non fit  
 verisimile , quemquam mortalem ita ingenium ad  
 omnia expeditum, ac velut in procinctu habere, cui  
 tot interioris sapientiæ scita , tot gravia dicta sub  
 manu nascantur : cui tam arguta & ponderosa di-  
 ctio sub acumen styli subeat. Quare id expenda-  
 mus , quas sapientiæ copias , quas ingenij multum  
 diuque subacti opes omnigenas ad hoc opus , quod  
 haud secus quam Phidiæ signum, simul aspicitur &  
 probatur, nobilis scriptor contulerit. Neque enim  
 à grammaticarum pulpitis , aut ex inepti rhetoris

## ANTONII ÆMILI

umbrâ prodiens , nil præter vocum inanem ostensionem ad scribendum attulit : sed à veræ prudentiæ & sapientiæ assiduo cultu , à tribunali , à sellâ curuli , longo rerum usu instructum animum jam senex ad annaliū commentationem appulit : cùm depulsâ miserè servitutis & diuturnæ crudelitatis tempestate , Trajanus princeps laudatissimus libertati pariter & veritati fecisset locum , & raram illam temporum restituisset felicitatem , ubi sentire , quæ velis , & quæ fentias , dicere liceret : unâ cum cæteris magnis viris , qui illum publicæ crudelitatis nimbum vix subterfugerant , velut ex latibulo prodidit Corn: noster , & senectâ jam ætate incorruptam fidem professus , manum stylo historico admoveare cœpit . Meritò autem vel casus , vel potius præ sagum parentum consilium luculento scriptori nomen fecit Tacito , qui in tantâ verborum frugilitate ita loquitur , ut tacere videatur ; ita taceret , ut nemo plura loquatur , & non aliis nos in Rep: apud reges & principes prudentiū loqui doceat : adeò ubique loquentiæ parum , sapientiæ multum : verbæ non in ore , sed in pectore nata : scriptor mente magis , quam linguâ copiosus : oraculorum , quam verborum plenior : sententiarum non mole , sed pondere æstimandus ; ut non alibi instructior politicæ prudentiæ sit officina : qui cùm unius fere imperij res contineat , universi tamen generis humani facta & confilia expendit . Quæ omnia imperator M.

Clau-

## O R A T I O .

Claudius Tacitus deò admiratus, vel potius veneratus est, ut imaginem <sup>robustam</sup> hujus scriptoris in omnibus collocaret bibliothecis, ejusq; libros, ne forte deperirent, decies que quot annis descriptos in publicis archivis, tanquam insigne <sup>reputacionis</sup>, servari juberet. Neque aliter de gavi hoc autore iudicavit Hetruriæ prudentissimus ex Cosmus Medicus, qui non alium scriptorem <sup>magis</sup> avidè lectitasse perhibetur. Quare illos annilium libros, quibus nihil decoctius habet antiquitas, Ampliss. Senatus, & Domini Curatores, civis prudentiæ studiosis commendandos, & præ cæteris publicâ professione dignos censuere, ad quorum expositionem jam accingimur.

Aures vestræ, Auditores, jam calent, credo, audiendis præclari illius instituti Amplissimi Senatus nostri maximis utilitatibus, & immensis historiæ præconiis, adeò ut vobis haud dubiè nimis multus videar in prædicandis utriusque laudibus, & jam dudum profundum ac spatiosum hoc mare mecum ingressi, terram oculis requiratis. Quare vela contraham, remosque, quod ajunt, inhibebo, præcipua quæque eorum, quæ ad utriusque commendationem pertinent, percurrisse contentus: quorum cunctas laudes si persequi velim, aqua dicentem deficiat, & nox diem adimat. Verùm non arbitror opus esse novi hujus instituti uberiore prædicacione apud vos, qui tam propensis animis jamdudum

## ANTONII AEMILI

publicam his literis ædem vovistiſ & nihil longius fuit, quām ut civitatis priores destinatum opus maturarent. Deinde neq; posset, si vel maximè coner, mea infantissimi h̄c nis longior oratio quicquam decoris addere h̄toriarum dignitati, à quā cæterę res eximię orationem splendorem accipiunt. Nō alibi quippe, qām in annalibus, flos ille terrarū sol & sal gentiū Græcia manet incolumis: non alibi Romani imperij majestas stat inconcussa: quicquid denique am inde ab omni ævo dignum sempiternā posteritatis exsttit memoriam, uni veritatis custodi debemus historię. Quæ si fortè alibi inculta jaceat, & apud imperitam multitudinem fordescat, in potentissimis virorū principam conclavibus semper hospitatur, belli & pacis moderatrix, atque apud reges potentissimos in deliciis est, eò quòd haud secus quām in orbe terrarum, præcipuam se in historiis partem occupare vident, atque adversus inexorabilem fatorum vim, perenne sceptrum & diadema in iisdem se possidere intelligent. Nos quoque, dum magna illa præcellentium virorum nomina annalibus inscripta legimus, eorum virtutem ita quæſo imitemur, ut digni olim habeamur, quibus in perpetuis rerum monumentis locus detur.

Vos autem, ornatissimi juvenes, qui in hoc gymnasium, tanquam ad sapientiæ & doctrinę mercatū undequavorum confluitis, eā spe & consilio, ut ubi me-

O R A T I O .

bi melioribus literis animum bene imbueritis , ex his Musarum umbraculis in pulverem & solem aliquando protracti , privatim & publicè utiles sitis , vos , inquam , virtutis viâ ad magna ituros , ad Ecclesiā , ad Remp : ad pacis & belli arbitrium , usitatâ illâ paganorum in sacris voce cohortabor , ut , Hoc agatis , dum vernante ætate sanguis vobis integer est : dum membris vigetis præviridantibus . Iuveni quippe quærendum est , seni utendum , verbum vetus est . Dum igitur velut in literarum incude positi estis , formantis manū quæso admittite , & sapientiæ præceptis imbibendis vos totos componite : nec ludicro & inani acroamate , ut male feriati solent , sed scholicâ hâc dape ebrias aures semper habeatis , nec palatum , sed animum eruditum probetis , hujus boni otij , quam auri , graviorem jaçturam putantes , quam nullo pretio redimere possitis . Quare turpe existimate , si vos opificum antelucana vincat industria , Socrati non absimiles , qui stare solitus perdius & pernox à summo lucis ortu ad solem alterum orientem inconnivens , temporis nempe fugam reputans : ita vos quoque vitæ hujus iter citatissimum cogitetis , quod non patitur , ut in idem flumen bis descendatis : quare velut ex torrente rapido , nec semper casuro , citò hauriendum est , ut magnarum artium latice perfusi , tanto uberiore incremento magnis capessendis succrescatis negotiis . Illud enim , quod vel præci-

puum

ANTONII EMILII ORATIO.

puum ad virtutem incitamentum erit, persæpe quoque  
so veniat in mentem, magnam vos domi, magnam  
in Rep: sustinere expectationem, cui ut respondeatis,  
summâ corporis juxtâ atque animi contentionē  
opus est; ne per vos stetisse videatur, quò minus ex  
novo hoc Athenæo, tanquam ex equo Trojano,  
quàm plurimi olim præcellentes prodeant viri,  
qui Ecclesiæ, aut patriæ laboranti, salutarem & fru-  
ctuosam operam navare queant.

Tu autem, à quo & propter quem sunt omnia;  
cui cuncta expensa, cuncta eidem accepta referi-  
mus; qui solus in ratione mortalium utramqne fa-  
cis paginam, Deus Opt. Maxime, hanc tuę majestati  
sacrā ædem sartam tectam uti conserves, lectissimæ  
juventutis concursu frequentes, animos auditio-  
rum sapientiæ & pietatis amore accendas, docen-  
tis pariter & discentis mentem cœlesti luce illu-  
stres, ad Nominis tui sempiternam gloriā, Ecclesiæ  
& patriæ incolumentatem, & nostram omnium salu-  
tem perpetuam, ardentibus votis supplicamus.

D I X I,

IVSTI

I V S T I L I R A E I

Humaniorum Literarum Professoris

O R A T I O

I N A V G V R A L I S

D E

De usu & dignitate Stu-  
diorum Humanitatis.

**S**i alicubi locum habeat indecanatum illud Græcæ antiquitatis dictum, Σπάρταν ἡλαχεῖ, ταῦτα κόρης; quod Latinorum ajunt filii, *Spartam quam natus orna*: nescio quid antiquius habere debeam, quām ut non solum provinciam, quæ mihi ab amplissimo inclytæ hujus Reip. Magistratu demandata est, pro virili meâ adornare coner; verūm etiam in solenni hoc actu, aliis rebus posthabitibus, ad illud præcipue studium condecorandum meum convertam sermonem, cuius professio mihi est imposita. Ideoque si quid in me est ingenij, si qua exercitatio dicendi, si qua ab optimarum artium studiis profecta disciplina,

T

eorum

J U S T I L I R A E I

eorum omnium , quæ infra mediocritatem esse agnosco , fructum vel in primis illæ humaniores literæ à me repetere in præsens debent , quarum enarrationi mihi deinceps erit incumbendum . Si enim in alio versarer dicendi argumento , verendum foret , ne alienam in messem falcem videret immisisse ; eandemque in reprehensionem incurserem , in quam apud fortissimum Pœnorum ducem nobilis ille Sophista , de rebus bellicis , quarum ipse ruditus erat , differens . Et optimo quidem jure : autumabat enim summus Imperator , neminem de stragematis , aliisque militiæ muniis rectè posse præcipere , nisi qui gladium stringere , ac jaculum vibrare esset edictus ; meritòque illos esse deridiculo , qui alienâ in arte artificium suum ostentare , non eru bescunt . Atque eò lubentiūs hanc dicendi suscepi provinciam , quia licet multi præclari viri adolescentium studiis hac in parte succurrere allaborarint : nihilominus tamen juventus furdā quasi aure pergere , atque in devia ferri magnam partem non definit . Adeò ut complures molestiarum quasi pertæsi , humanioribus literis in ipso studiorum limite nantium remittant ; aut certè , veluti per transennam prætereuntes , strictim tantummodo aspiciant . Quam literariæ Reip . dum mecum miseror calamitatem , non abs re me facturum arbitror , si in hoc eruditissimorum hominum congressu , atq ; hac floridæ juventutis coronâ de singulari literarū huma-

## O R A T I O.

humaniorū usū impræsentiarum verba faciam; idq;  
operam dem, ut languidis animūm, ac currentibus  
calcar addam; quò eum, ad quem collimant, sco-  
pum contingere feliciūs pergent. Verùm de re  
maximè copiosā me neque satis cōmodè dicere,  
neque satis utiliter posse consulere facilē animad-  
verto. Siquidem commoditati tenuitas ingenij, atq;  
utilitati tūm spatia, quibus sum arctatus, tūm parūm  
valida corporis constitutio, eaq; necdum confirma-  
ta, impedimento est. Ac si illi qui in ergastulorum  
tenebris fuere detenti, ubi liberiore aëris aspectu  
frui conceditur; mox coruscā Solis lucem dire-  
ctā oculorum acie intueri non sustinent: pari ra-  
tione quid mirum, si ego, huc usque in umbratili il-  
lā versatus vitā, lucem, ad quam evocatus sum,  
commodè aspicere non queam? Ac licet in con-  
gressu puerorum, quibus informandis hactenus  
occallui, fortè aliquid non planè insulsum proferre  
visus sim, mirandumne sit, si inter tot diserta ora,  
& purgatas aures obstupescā? Nitā tamē nihilomi-  
nus, foréq; spero, ut partim affectus singularis, quo  
pubis Palladiæ conatibus prodesse labore; partim  
benevolentia vestra, Audit. Humaniss., vires mihi  
animumque sufficiat. Eā enim fretus, plus oneris  
sustuli, quām me ferre posse intelligo. Quocirca  
primum divinæ clementiæ, deinde humanitatis ve-  
stræ placidam mihi auram imploro, quō frāgilis o-  
rationis meæ ratis secundo hujus faventiæ afflatu

quasi subiecta , quem sibi proposuit portum facilis  
us subire queat.

Quod si consequar operam dabo ut quantum  
non modo præsidii , sed etiam suavitatis , atque or-  
namenti humaniorum literarum lumen cultoribus  
suis conciliet , oculis vestris , quām potero bref-  
vissimè , subjiciam.

Atque hic in ipso  
limine detestari mihi liceat præposteram eorum  
rationem , qui statim ab iis rudimentis , quibus ætas  
puerilis in ludis literariis imbui solet , & vixdum  
manu ferulæ subductâ , illotis , ut ita dicam , pedibus  
in facultatum ( ut vulgò vocant ) adyta irrumpere  
pergunt . Quasi re benè gestâ , si adolescentuli anno-  
rum senûm septenûmque denûm titulum Iuriscon-  
sulti nundinari possint . Interim primoribus vix la-  
bris literas illas degustantes , quibus sapiens anti-  
quitas adolescentiam ad humanitatis studium in-  
formari voluit ; Grammaticam illam ~~enarrationem~~ Clas-  
sicorum , inquam , autorum , sive poëtarum , ut Quintil.  
à potissimâ parte denominat , enarrationem . Ut  
nihil dicam de Historicis , quas præcoces illi facul-  
tatum ( si Diis placet ) candidati à limine & quasi in-  
transcurfu salutant ; aut de Philosophiâ , quam ex-  
tremis solûm digitis & dicis , ut ita loquar , causâ at-  
tingunt ; de Græcis literis ita parum solliciti , ut eas  
ne quidem arripere pretium opera censeant . Neq;  
verò hoc ita accipi volo , quasi adeo latè humani-  
tatis pomœria extendam , ut omnes hasce com-

pre-

## O R A T I O.

prehendant disciplinas ; aut eas quoque contineant, quas ob cognitionem, quâ inter se devinciuntur, uno ~~misericordia~~ nomine sunt complexi , ac Fabius orbem doctrinæ , Græcisque usitatâ voce ἐγκυλωπι-  
σθαι vocat. Verùm humanitatis contubernio so-  
lùm includo illam, quam dixi, Grammaticam enar-  
rativam , ut vocant ; quæ Oratores & Poëtas vete-  
res excutiendi rationem promittit; à quâ Oratoria,  
Poëtice, iisque affines disciplinæ promanant. Quâ-  
ta verò ex harum literarum neglectu omnium di-  
sciplinarum non solùm corruptela sequatur, sed ex-  
pulsio , superioris sæculi indicat barbaries. Cùm  
Græcę Latinęque eloquentiæ studium non modò  
è rostris expulsum , ac curiā ejectum ; sed etiam à  
Philosophis contemtum , atque è doctrinarum ca-  
thedralis amandatum est , paucisque Grammaticulis  
exiguæ ejus scintillæ sunt relictæ. Ablatâ verò ex  
oculis pulcherrimarum rerum luce , discipuli cum  
doctoribus Cymmeriis quasi involuti tenebris tam  
fœdis implicabantur erroribus, quasi clausis oculis  
Andabatarum more depugnassent. Siquidem non  
aliter , atque illa à Barbaris olim in Italiam facta  
irruptio omne imperii decus oppressit, sic humani-  
orum literarum barbaries simul linguas artesque  
bonas exegit; ipsasque facultates, Deum immorta-  
lem ! quantum violavit? quot vulnera inflxit? Quæ  
eruditio hoc seculo detersis superioris ævi fôrdibus  
non tantum lacertos movent, sed in ipsâ mundi se-

neçtā, redditā quasi juventute, revirescunt; ut dubiū non sit, quin postliminio pristinam dignitatem sint recuperaturę. Quocirca & sibi & universae Reip. literariæ optimè consulunt, qui non priùs ad facultatum adyta admitti satagunt, quām humaniorū literarum curriculum non ingressi, sed egressi fuerint. Eoque excuso tum demum ad Philosophiam, Historias, sublimioresque disciplinas pleniūs cognoscendas animum appellunt.

Magna enim vis, maximaque in literis humanioribus sunt præsidia ad cumulandos omnibus bonis cultores suos. *Quis quæso inficias ibit priscæ Latinitatis in vitâ communi mirificum esse usum?* Illa multis jam seculis disjunctissimarum gentium est tessera, illâ infinita virtutis omnisque sapientię cōsignata sunt monumenta; ab illâ liberales non modo disciplinæ, sed historiarum dependet vis & veritas; per illam Philosophiæ ac facultatibus sua constat lux & gloria. Cujus analogiam qui non probè animo fuerit complexus, illi in rerum intellectu densissimum ob oculos offundi pulverem est necesse.

Huic verò non solùm lingue, sed omnibus in universum doctrinis, mirum quām incredibilis oritur splendor ex Græcarum literarum clarissimo lumine. Quæ quibus fordent, illis nunquam interiora scientiarum patebunt penetralia. Græciam tota antiquitas, & quotquot unquam literis fuere clari, lingua-

O R A T I O.

linguarum artiumque parentem , sapientiæ magistram, ac virtutis salutant officinam. Hujus lacte & nutricatu ut disciplinæ primùm adoleverunt, sic utriusque linguæ auspiciis plenum consecutæ sunt incrementum. Si verò antiquis seculis , quando quisque, quam à naturâ acceperat , dicendi afferebat copiam , ideoque vix causa esse videretur cur magnopere harum literarum lumen requirerent , tamen in medio Latio accuratissimas de Latij sermonis analogiâ commentationes , non à proletariis illis dico , sed classicis scriptoribus M. Varrone & C. Cæsare esse editas videamus ; ecquis ita pandiculans oscitatur, ut non animadvertat, quanto nobis nisu in hęc studia nunc sit incumbendum, cùm veteris linguæ consuetudine sublatâ ingenii solūm supersunt monumenta , unde linguarum, omnisque doctrinarum ratio nobis est haurienda ? Aut quisquam ita est deficulus , ut sive Romanæ, sive Græcæ linguæ verum gustum sibi præsumat, nisi ipsos adeat fontes, atque autores illos primigenios , qui omnis sapientiæ monumenta Græcis Latinisq; prodiderunt literis , diligenter evolvat? Aut ullus ita est vecors , ut non animadvertat , quanto conjunctum sit cum opprobrio , ut qui Musarum in castris nomen profitetur suum , si quod è Græcis petitum fontibus offeratur elogium, mox infantiam suam prodere , seque ἀναφέθηται esse confiteri cogatur ? Cui malo nisi mature obviam eatur , humani-

nioribus non solum literis , sed omnibus in universum disciplinis ire exequias licebit.

Iam verò antiquitatis notitiam hinc quoque dependere nemo est, ut puto (humaniores literas dum modò à limine salutārit) qui diffiteri audeat. Cujus usum si oratione meā persequi instituerem, meritò actum agere viderer , cùm operam illam eximii præoccupaverint viri. Qui in eo mecum conspirant, illis qui in lectione bonorum autorum versari velint , summā contentione incumbendum , ut antiquorum rituum ac formularum accuratam habent notitiam ; alioqui frustra accessuros ad excutienda difficultia autorum loca nube antiquitatis involuta.

Verùm præter ea quæ dixi , alia esse , quæ ex inexhaustâ humaniorum literarum ubertate petantur, luce clarius erit , si studiorum fines intueri velimus, ad quos omnium autorum lectionem , atque lucubrations nostras referri oportet. Illi verò duo omnino statuuntur , nempe tūm ut de Deo ac rerum naturis rite sentire, quæque in bonis aut malis ducenda sunt percipere; tūm ut ea quæ sentimus aliis dextrè communicare queamus. Græci <sup>σύνεσιν</sup> vocant , & διάραπιν ἐγμένευτην. Flaccus succinētè est complexus, cum sic ad Tibullum loquitur,

*Quid voveat dulci nutricula majus alumno,*

*Quām sapere & fari ut posset, quæ sentiat?*

Vt verò prius illud sibi vindicat tūm Philosofia,

## O R A T I O .

phia , tum disciplinæ quas vulgò facultates indig-  
tamus ; sic posterius citra omnem controversiam  
humaniorum literarum cognitio suppeditat. Qui-  
bus acceptum ferre debemus , quòd animisensa rite  
exprimere , ac cum laude loqui ; & fructu sapere  
possimus : earumque , ut verbo dicam , germana fo-  
boles est illa copiosè loquens sapientia. Illa , in-  
quam , rerum regina & Imperatrix flexanima , ma-  
jus omnibus tyrannis in animos hominum impe-  
rium obtinēs ; utpote numerosā oratione , tanquam  
habenis , quamlibet in partem pro arbitratu suo ra-  
piens. Hæc ferinam primis hominibus vitam exu-  
it ; hæc dissipatos in societatem vitę convocavit ;  
hæc conciliis habitis urbes condidit ; hæc leges tu-  
lit ; hæc artes invenit ; imò ad omnia quæ solerter  
cogitata sunt , vires suas contulit. Hac instruētus  
ille , *Flos illibatus Populi , Suadæque medulla* , M. Tul-  
lius Cicerò populum Rom. alimenta sua abdicare,  
ac proscriptorum liberos ab honorum petitione  
abstinere compulit : imò furialia bella solius lin-  
guæ fulmine compescuit : Catilinam è Senatu , cui  
cædem , atque urbe cui incendium minabatur , eje-  
cit : ac togatus armatos superavit. Adeò ut hostium  
etiam judicio tanto majorem omnibus triumphis  
adeptus sit lauream , quanto plus est ingenii termi-  
nos tantum promovisse , quam imperii. Quocirca  
quod de amicitiâ dixit Lælius , majori jure hic  
transferri possit , eos Solem è mundo tollere videri ,

qui eloquentiam sustulerint. Frustra verò sunt, qui opinantur suppeterere cuiquam posse, quod in hac rerum varietate luculenter & decorè dicat, nisi ex humanitatis studiis oratio ipsius & dicendi facultas creverit. Ecquam causam esse censetis, quod non paucos invenire detur, qui postquam non exiguum vitæ partem in rerum inquisitione consumperint, ita tamen se literis abdiderunt, ut nihil ferè in aspectum lucemque proferre, imo vix patica commata sine titubatione, foedaque stribagine profari queant? Quid cause esse arbitramini? nisi quod animos hisce disciplinis non excoluerunt: unde sit, ut in ipsorum labbris non dulciloqua illa Suada, sed foeda barbaries sessitare videatur; quam passim tum lingua, tum calamo produnt.

Præterea quām ihexhausti sint poëtarum fontes, quāmque perenni omnis reconditæ eruditioñis scaturigine cultores suos perfundant, testatur summa eorum copia, qui animum insaturabili horum succo imbuerunt. Neque verò poëtices encomia hic pertexere in animum induxi; id enim angustia temporis, quā circumscribor, prohibet; sed hoc tantum dico, copiam illam sermonis, (de quā paulò antè verba institui) mirum in modum ex studiis poëticis crescere; atque singulare hinc nasci orationis decus, & mirificam sublimitatem: prout non uno in loco Diserrissimus ille Romuli nepotum, nec non poëtarum ingeniosissimus expressis testatur verbis.

Quæ

## O R A T I O .

Quæ etiam est causa, quod non modo Oratores poëtarū sententiis sunt referti, sed Philosophi quoque, licet omnia inferiora suis præceptis arbitrentur, repetere sibi autoritatem à testimoniis, quæ ex poëticis mutuantur viridariis, non fastidiunt. Atque divinus ille Philosophus, cuius parvuli in cunis dormientis labellis apes mel inseruisse perhibent, poëtas vocare; & antiquissimi, referente Strabone, Poëticen primam quandam Philosophiam esse, asserere non sunt veriti. Gravissimè autem allucinantur, qui è poëtarum scriniis tantummodo bracteas quasdam, ut loquuntur, eloquentiæ, ascititia, inquam, colorandæ orationis pigmenta: atque inanes quasdam fabellas depromi contendunt: quique hæc tractant verius nugarum esse architectos, magnoque conatu magnas nugas agere affirmare præsumunt. Morboniam facessant perversi isti rerum arbitri, atque inter eos migrant, quos -- *Iam pridem etenofa cucurbita querit.* Etenim præterquam quod maximas res oratio luculenta hominis disertis efficiat; etiam hæc fabellæ, quas tantoperè exagitant, frugis suæ non sunt expertes; quandoquidem sub hisce involucris salutares latent doctrinæ; quorum testimoniorum pleni sunt libri Mythologici. Nam -- *Veluti pueris,* (quod elegantibus planè verbis sublimis ille inter poëtas naturæ interpres ait,) *absynthia necra medentes,* pubes  
cœrent, non coquendo raro ambiplor rumpunt at illi  
pauci.

## J U S T I L I R A E

Cum dare conantur, prius oras pocula circum  
 Coniungunt mellis flavo, dulcique liquore;  
 Ut puerorum etas improvida ludificetur  
 Labororum tenus: interea perpotet amarum  
 Absinthi calicem, deceptaque non capiatur,  
 Sed potius tali facto recreata valeat:

pari ratione poëtis nequaquam propositum est, nutrīcū more inanibus fabellis animos legentium ducere; verūm severa morum præcepta & abstrusa naturæ arcana dulcedine quadam fabularum condire. Ut hoc ipso juventutem ad cognitionem rerum insignium allicere, & tanto majorem virtutis ac sapientiæ fementem facere possint: cum aliqui jejuna horum traditio animos facile averteret, & aures delicatas raderet.

Si tamen nihilominus hæc tanti non videantur; illa certè summa esse ac planè divina, quæ ex iisdem petuntur fontibus; nemo ita perficitæ est frontis, qui diffiteri audeat. Hæc enim studia titillatione quadam honestissimæ voluptatis animos alliciunt, allectis monita salutaria instillant; atque igniculos illos honestatis, semina, inquam, iusti & æqui naturei instinctu nobis insita (sive verius, primævæ imaginis reliquias) fovent atque excitant: luxuriantes vero cupiditates coercendo amorem honesti insinuant, atque à vitiis ad virtutem abducunt. Quod inter alia homines sapientissimi testatum reliquerunt, cum cæteros non modo Deos,

O R A T I O .

Deos, sed illum quoque ,

*Qui templo cœli summa sonitu concutit ,*

Cupidinis imperio subditum ferunt ; attamen in Palladem & Musas studiorum præsides , arte quasi stupente,nihil hunc unquam potuisse. Cùmque Sirenes suavitate cantus quosvis præternavigantium ad se allectos , mentisque statu dejectos in præsentaneum pertraherent exitium ; solos Argonautas tutò præternavigasse perhibent ; quod Orpheus in puppi assidens tantâ vocis ac fidium dulcedine aures eorum deliniverit, ut Sirenum blanditiis neutram moverentur. Quâ ratione innuunt eum, qui salutaribus hominum sapientū monitis aures præbuerit , non facile à recto virtutum tramite in vitiorum scopulos abstractum iri, sed fruticantes in animo cupiditates , ac corruptelarum illecebras refrænaturum. Pleni præceptorum sunt libri, plenæ sapientum voces , quæ non dico ad virtutem dignitum nobis intendunt, sed omni ratione hoc insinuant , nihil in vitâ magnoperè expetendum præter honestatem, inque eâ perséquendâ quævis pericula parvi ducenda. Quandoquidem, ut Comicorum ait festivissimus,

*Qui per virtutem perbitat, non interit :*

atq; *Post mortem in morte nihil est metuendum magis.*

Licet verò hæc Philosophorum propriè sit professio , sæpissimè tamen hi , quos homines à Musis aversi nihil præter verborum lenocinia habere ar-

J V S T I L I R A E I

bitrantur, præcepta rectè vivendi nihilò deteriùs  
quàm ipsi tradunt Philosophi ; ac

*Quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non ,*

*Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicunt :*

reque ipsâ ostendunt, nullam illis esse eruditionem,  
nisi quæ beatæ vitæ rationem juvet. *Quod si sta-*  
*tuae & imagines insignium virorum aspicientem ad*  
*æmulationem gloriæ excitant, atque Miltiadis tro-*  
*phæa Themistoclem ita commoverunt, ut abdica-*  
*tâ mollitie vitam in melius commutârit: & Thesea*  
*Herculis facta æmulatione stimulârunt, ut paria e-*  
*dere agitaret: nonne multò magis nos afficiant.*  
tùm salubria vitæ rectè instituendæ documenta;  
tùm vivæ excellentium virorum imagines, quas ho-  
mines sapientissimi monimentis suis expressas reli-  
querunt: non quidem ut ab otiosis & stupentibus  
solùm spectarentur, sed tantarum virtutum cogita-  
tione similem in animis nostris gloriæ fomitem ac-  
cenderent? Quapropter etiam in Platonis convivio  
*τὰς δηετῶν γεννήτριας, Virtutum genitores , Poëtæ vo-*  
cantur.

Denique ut majora dicam, etiam ad res insignes  
præclarè gerendas maxima horum studiorum sunt  
momenta; siquidem fortitudo, nisi arte & pruden-  
tiâ regatur, parùm potest, atque, ut ille Æolii in-  
ter Latinos carminis ait princeps,

*Vis consili expers mole ruit suâ;*  
nec aliud est robur sine consilio, quàm corpus sine  
pecto-

O R A T I O.

pectore, aut caput sine cerebro. Testatur hoc inter alios ille, cui unus non sufficit orbis, qui inter medios armorum strepitus Homerum secum circumtulisse, & unà cum gladio cervicali suppositum habuisse fertur. Nec non Græcorum apud principem poëtarum Imperator, qui ut Trojā facilius potiretur, decem sibi optavit dari non Achilli, aut Ajaci, sed Nestori similes. Neque mirum; qui enim literis bene excultum pectus gerunt, non unius solum alteriusque belli inspectione aliquam rerum militarium naeti sunt experientiam, sed sedula librorum volutatione hoc consecuti, ut omnibus, quotquot post hominum memoriam gesta sunt, bellis quasi post principia positi interfuisse, atque omnium principum penitioribus consiliis quasi arbitri sedisse, & eventus perspexisse videantur. Tales apud Græcos memorantur non solum Pericles & Epaminondas Imperatores, sed etiam Architas Philosophus, & Alcæus Poëta: atque apud Romanos Scipiones, Marcelli, Cicero, Cæsar atque alii; de quibus utrum armis magis an literis præstiterint, ut ambiguum est asserere; sic quantas res gesserint, veterum monumenta loquuntur. Non ignorarunt hoc Mitylenenses, quos Ælianus refert viatis civitatibus supplicii loco imposuisse, ne liberos suos literis imbuerent; omnium suppliciorum gravissimum aestimantes, rudem & à literis alienam vitam exigere. Atque hoc est, quod Julianus

Aposta-

J U S T I L I R A E I

Apostata non tantum vetuerit Christianos ad militare honores admitti, sed eorum quoque liberos in scholas Rhetoricas recipi; hanc consilii sui addens rationem, *δικαιοῖς πλεοῖς βαλλόμεθα*, propriis penitus ferimus.

Sed satis multa de firmissimis praesidiis, quibus humanitatis studia cultores suos muniunt; sequitur ut eorundem suavitatem deinceps delibem. Quæ tanta est, ut nullâ ex re major peti possit; ac talis, ut si non tantæ plurimarum insignium rerum commoditates ex hisce studiis ostenderentur, illa tamen dignissima meritò judicaremus, in quibus operam quandoq; ponerent, quicunq; gravioribus districti sūt curis. Etenim si forte animus morbidorum suspiriis graviter sit affectus, hic est, ubi curretur; si fori strepitū defatigatus, hic est, ubi refocilletur; si cathedræ molestiis obrutus, hic est, ubi sublevetur; si aliarum rerum negotiis impeditus, hic est, ubi se expediatur, ac solvat. Enimvero cùm cæteræ voluptates neque omni ætati præsidio sint, neque omni tempori locoque convenient, hæ solæ & ætatum sunt omnium & temporum & locorum. Hæc studia adolescentiam erudiunt, senectutem exornant, ejusque incommoda leniunt & sopiunt; ac si fortuna juvat, oblectamento sunt; si tonat, solatio. A publico abstinere cogeris? delectant domi, naufragi abiguunt. Foris peregrinandum, rusticandum, aliudvē agendum? nullius comitis jucundior

O R A T I O .

cundior confabulatio. A negotiis publicis , aut temporibus excluderis , aut tuà voluntate feriaris ? nihil est, quo otium honestius fallas. Ægritudo animum cruciat ? nihil est quo jucundiùs, certiusque lenias. Docet hoc suo exemplo Aug. Cæsar, quem in summâ rerum mole , bellique Mutinensis difficultatibus hisce literis vacasse Tranquillus refert. Neque mirum ; cæterarum enim voluptatum satis parva est res; atque ita in vitâ comparatum, ut cunctæ satietatem quandam & tedium secum ferant ; sed quæ hisce parantur studiis , quò percipiuntur majores, eò avidiùs expetuntur. Cui rei testimonio sunt homines literatissimi , tantâ quandoque studiorum jucunditate deliniti , ut alios cibi potusque ceperit oblivio ; alios in mediâ urbis direptione nec tectorum cadentium fragor, nec civium, qui contrucidabantur quiritatus & lamenta à comminationibus avocârint; adeo ut priùs percussoris manum jugulo exceperint , quam totius urbis convulsionem auribus hauserint.

Supereft , ut ornamenta , quæ hæc studia comitantur, attingamus , non quidem pro merito , sunt enim dignitatis plenissimæ , sed strictim , & levi, quod ajunt , manu. Trahimur omnes laudis studio , & optimus quisque gloriâ maximè ducitur : hæc verò literarum cultores non suspensis , sed grandibus , ut sic dicam , comittatur gradibus , atque ita ut pedem pede pre-

mere videatur. Prætermitto hoc loco , illum sa-  
 pientiæ antistitem Platonem, cui, referente Plinio,  
 Dionysius tyrannus , aliàs superbiæ fævitiæque na-  
 tus, vittatam navim obviam misit ; ipse quadrigis  
 albis egredientem è navi excipiens. Producerem  
 in medium Posidonium , sapientiæ professione cla-  
 rum , cui ille Orientis & Occidentis domitor im-  
 perii insignia submisit ; nisi ejus recensione exem-  
 pli vestræ adhuc aures calerent. Quid de Homero  
 dicam ? de quo septem non ignobiles Græciæ civi-  
 tates inter se disceptant , atque Smyrnæi ita suum  
 vendicant, ut divinos ipsi assignare honores, ac de-  
 lubrū suo in oppido dedicare non refugerint. Quid  
 memorem Archilochum poëtam ? cuius interfe-  
 ctores etiam Delphicum arguit oraculum , neque  
 priùs expiari potuerunt , quām ipsi ad Tænarum  
 parentassent. Adeo ut Græcis decantato prover-  
 bio *Α' εχιλοχον πατεῖν* eodem dictum sit sensu, quo Latini  
 Crabrones irritare , aut Tribulos calcare dicimus.  
 Quid Socratem referam , quid Æschinem ? illum  
 obstetricis, hunc tympanistriæ filium. Quid De-  
 mosthenem, quid Pindarum ? Illum machæropæo,  
 hunc tibicine progenitum ? quos tamen supra om-  
 nes honorum apices hæ literæ evexerunt. Sed quid  
 in exoticis moror ? cùm domestica in promptu sint  
 exempla , eorum quos non tam Theologia aut Iu-  
 risprudentia, (quarum tamen non mediocri instru-  
 eti sunt supellectile) sed hæ præcipue literæ supra  
 omnes

O R A T I O.

omnes omnium fumosas imagines ita extulerunt, ut antiquitatis memoriam celebritate nominis superarint. Utque omittam Dousas, Lipsium, Scali- gerum, aliosque quos nostra vidit ætas; habet flo- rentissimum illud Musarum Athenæum Leida, ha- bet celeberrimum orbis emporiū Amsterodamum, confines nobis urbes, viros Gratiarum manibus fa-ctos, qui harum præcipuè disciplinarum auspiciis, tanquam *--Clarissima mundi Lumen--*, toti jam orbi innotuere. Quorum fama apud omnes jamdudum gentes ita est *Extra anni Solisque vias--* diffusa, ut iisdem quibus orbis terrarum finibus contineatur: nominibus autem parco, tūm quia singularis eorum modestia hoc vetat; tūm ne palpum obtru- dere, aut quasi in os laudare videar. Atque hi qui- dem honores tanto sunt majores cæteris, quod cùm omnia alia dies imminuere soleat, nec quicquam sit manu factum, quod non aliquando conficiat ve- tustas, hisce tamen laudibus diuturnitas nihil de- trahat, sed potius addat, ita ut magis magisque in- dies florescant.

Videor autem mihi nescio quos obstrepentes audire, quibus nihil olet, nisi quod unctam olet culinam; nihil sapit, nisi quod quæstum sapit & lu- crum: horum qui studiorum mihi sterilitatem ad aures occidunt: atque ut ex omnibus doctrinis du- as quidem fructuosas esse vulgari decantatum est dicto, sic literas humaniores cultoribus suis deco-

quere ajunt, deque his meritò vetus illud jactari posse, οὐδὲν πέδε τι ἀλφίτα, *Nihil ad farinam.* O vitio creati judices! parumque ad veterum Romanorum gustum! qui bonam famam magnam nobilitatem, verasque divitias censebant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant: fugit vos ratio, ac vanitatis res ipsa arguit. Sicut enim hæ literæ facillimos cultoribus suis ad nominis immortalitatem patefaciunt aditus, sic nulla expeditior est via, non quidem ad regales coacervandas gazas, sed moderatas saltem facultates sine ulla dedecoris notâ parandas. Non adduco huc Thaletem, qui postquam exprobratione amicorum eò esset compulsus, ut ad rem faciendam animum adjiceret, astrorum scientiam sibi compendiariam ad insignes divitias viam fecit. Potius in medium prodeat Isocrates, qui dicens officinam aperiendo eas sibi collegit opes, ut Trierarchia, ad quam obeundam primi solùm census homines admovebantur, ipsi non semel delata esse dicatur. Sed unus instar omnium sit ille, quem invidendo elogio principem eruditonis Plinius indigitat, L. An. Seneca; hic licet alienigena tamen eloquentiâ duce, & imperatoris munificentiâ tantam sibi opum vim confecit, ut duplò major Crassi facultatibus, qui Romanorum veterum fuit locupletissimus, fuisse dicatur: neque solùm hortorum amænitate, ac villarum magnificentiâ Principem supergressus est, sed fænebrem pecuniam tantâ co-

pià

O R A T I O.

più collocatam habuit, ut Italiam & provincias fænore suo haurire diceretur. Possedit enim (exprobante hoc ipsi Suilio) ter millies H SS. qui modus nobis esset septuagies quinies centena millia Philippicorum. Regales sānē & stupendæ opes, ac supra fidem, fateor; nisi testis nobis locupletissimus foret Cor. Tacitus. Verum enimverò ut insignibus judiciis hæc censura peragatur; atque ab iisdem, in quos modò digitum intendi viros, omnium rerum insignium exempla petantur, quām facilem & expeditam ad facultates parandas viam hę literę muniant, satis superque ex eo liquet, quòd alii eorum lautissimis stipendiis evocentur, alii insignis manūtissæ auctario retineantur, iisque vinciantur pedicis, quæ

*Quām magis extendas, tanto astringunt arctius.*

Sed pergunta iniqui isti rerum arbitri malè de literis nostris sentire; quasi hausta ex triviis doctrina & puerilia solūm nugamenta hīc tradantur; ideoque non magni hæc studia sint momenti; neque magnopere desudandum iis, qui hæc tractant. Quā in re incredibile dictu, quantum à cursu recte rationis abstrahantur. Siquidem non esse reicula, quæ hisce continentur studiis, summaque cultoribus non modò præsidia, sed insignia quoque ornamenta hinc desumi, evidentibus, ut puto, tum argumentis, tum exemplis evici: adeo ut in mediā caligent luce, qui hæc non perspiciunt; atque non

Iemis, quod ajunt, sed ollis lippire videantur. Qui verò parum laboriosam harum rerum censem esse professionem, næ illi perinde atque cæci de coloribus judicant, dumque ita sentiunt, nihil sentiunt. Nam ut usu & fructu hæ literæ sunt uberrimæ, sic etiam genere sunt infinitæ: atque à nullis eruditorum, major requiritur veritas, aut uberior omnium rerum copia. Qui enim in cæteris elaborant disciplinis, licet aliorum sint rudes, atque in uno illo, quod profitentur genere, mediocriter excellant, summis eos laudibus cumulari videmus. Hic verò alia planè est ratio; quia enim Philologis diversarum disciplinarum scriptores sunt explicandi, & unus sëpe autor multifariam rerum copiam ex omni doctrinarum genere depromit; iccirco illos quoq;  
~~mavisięgus~~ esse oportet. Neque solùm accurata ab iis requiritur linguarum cognitio, sed omnis liberialium artium & Philosophiæ varietas non pertractanda quidem, at cognoscenda; neque tantum delibanda, sed degustanda venit. Quibus nisi exactam Oratorię & Poëtices, nec non Antiquitatis notitiam habeant conjunctam, atque historiarum sint intelligentes, pro nullis habebuntur. Imo ex ipsis facultatibus, ut vulgò dicuntur, multa non leviter cognoscenda; quibus ignoratis compluria classicorū autorū loca ignorari necesse foret. Quis Lucretii de naturâ rerum libros commodè interpretabitur, nisi accuratam scientię naturalis notitiam

O R A T I O.

tiam sit adeptus? Quis Manilium enarrabit, nisi Astronomiam calleat? Quis è Græcis Theognidem, è Latinis Satiricos enucleabit, nisi moralis disciplinæ præceptis probè sit imbutus? Quis Lucanum aut Silium commodè explanabit, nisi historias norit? Quis Ovidii Fastos digeret, nisi Antiquitates tanquam digitos unguesque suos teneat? Denique ut de aliis nihil dicam, quis Tullianas ritè exequetur orationes, nisi juris & legum antiquarū rationem perspectam habeat? Ut omittam in reliquarum disciplinarum doctoribus non eam desiderari sermonis elegantiam, non illud verborum decus requiri, quod à nostro passim flagitatur ordine. Hic enim voces exiguntur nitidæ, ac locutiones selectæ, quæque sint

--*Compostæ ut tesserulae omnes*

*Endo pavimento, atque emblemate vermiculato.*

Neque verò hæc ita quisquam accipiet, quasi tam acri sim studio, ut omnia hæc mihi tribuere ausim. Tantùm enim abest, ut præstare, aut de me polliceri hæc audeam, ut ne quidem sperare cuncta præsumam. Sed hoc dico, multifariam hanc doctrinarum varietatem ab iis, qui nostri sunt ordinis, quidem flagitari, exactam verò solum reperiri apud eos, quos modò laudavi literarum Aristarchos, in cæteris ut minimè perfectam, ita nec superficiariam, attamen mediocrem plerorumque notitiam requiri; atque in his locum habere illud Satyrici,

*Est*

J V S T I   L I R A E I

*Est quodam prodire tenus, si non datur ultrà.*

Plura sunt, A. H. quæ huc spectant, possemque vela orationis pandere, quò enim longius in altum provehor, eò mihi patentior aperitur Oceanus, verùm temporis ratio me monet; ut vela contraham, portumque subire contendam. Statueram quidem, cum primùm me ad dicendum accingerem, postriorem orationis partem in dirigendo humanitatis curriculo impendere; atque id operam dare, ut viam illam, quæ aspera & fentcosa multis videtur, fentibus ac vepribus purgatam, planamque redde-re. Idque eo magis, quia licet multi de rectè instituendâ horum studiorum ratione verba fecerint, plerique tamen veluti statuæ Mercuriales eminus tantum digitum intendunt, neque se viæ socios pre-bent, unde fit, ut juventus in ipso sàpè limine hæc studia valere jubeat, aut in præcipitia delabatur. Verùm ubertate rerum, de quibus mihi dicendum fuit, oratio excrevit, ac mihi non tam copia, quàm modus in dicendo quærendus est. Quocirca quod restat, aut in tempus commodius, aut privatis com-memorationibus transmittimus.

Vos verò Adolescentes Ornatissimi, (ad quos meus nunc convertitur sermo) Vos, inquam, qui in patriæ & gloriæ spem Musarum quasi lacte educa-miní, agite obsecro, cognoscite felicitatem ve-stram, dumque ————— *Integer ævi Sanguis-*, ac studiis apta est ætas, toti in hac literas in-

## O R A T I O .

incumbite. Dici non potest , quanto vobis olim & præsidio & ornaimento sint futuræ , cùm vos cœli favor , vestraque virtus & eruditio ad rerum fastigia evexerit. Perspicitis sine harum rerum luce eos , qui aut in Reip. aut Ecclesiarum, aut Scholarum puppi sedent, Cimmeriis involvi tenebris, ac principalibus muneras sui partibus deesse : illustria verò esse bona , quæ illarum splendore acquiruntur. Videtis ab hisce non solum totam Latinitatis & Antiquitatum dependere cognitionem ; atque Oratoriam & Poëticen his adminiculis parari : verùm eas ad virtutem quoque & honestatem facem nobis prælucere ; simulq; ad res præclarè gerundas insigni esse adjumēto. Auditis nullum in rebus secundis verius esse ornamentum, aut certius in adversis refugium. Intelligitis ad honores amplissimos atque facultates parandas viam hisce literis sterni expeditissimam. Quid statis itaque , anne hoc insigne animorum decus in obscurō jacere, aut negligentiae situ obsolescere patiemini ? Agite, agite, Adolescētes dilectissimi, à veterno vos hisce studiis vindicate. Nolite admittere, ut aut libido vos ad voluptatem, aut amoenitas ad delectationem, aut labor ad quietem ita avocet, ut ab instituto cursu planè desistatis. Nec cum illis vobis rem esse patiamini, qui majorem histrionū , mimorumque quam eorum, qui linguam poliunt, animumque informant , rationem se habere ostendunt ; multò-

J V S T I   L I R A E I

que minus cum illis , qui voluptatibus irretiti potiorem cuticulæ , quam animæ curam gessisse , atq; hæc tantum pro sale, ut Varro ait, ne putrescerent, habuisse videntur. Verum summam animorum & corporum contentione , virtute ducè , ac comite doctrinâ ad veram grassamini gloriam ; donec

*Virtus recludens immeritis mori*

*Cælum, negata tenet iter viâ;*

*Cætusque vulgares, & uadam*

*Spernat humum fugiente pennâ.*

Ego quicquid in me est studii , consilii , laboris, id omne vobis defero ; ac quicquid hujus ætatis viribus possum , id vobis & publicè & privatim do , dico , & confecro.

Hoc supereft Proceres Ampliss. Reip. hujus singularia columina , ut hæc principe digna munificentia , hæc stupenda animorum & sine exemplo magnitudo, hoc heroicum decretum, quo inter medios armorum strepitus quietum Musis delubrum sumptibus vestris erigitis, ad gratias agendas ac vota concipienda nos erigat. Vrbem haetenus habetis toto orbe celeberrimam ; adeo ut vix ulla regio ita sit remota , quo inlytae Ultrajectensium Reip. splendor non pervaferit : quæ res jam pridem disjunctissimarum gentium admirationem, ac vicinarii æmulationem vobis concitavit. Vrbem , inquam, habetis cœli clementiâ, soli fertilitate, civiū ingenio, & moribus laudatissimam , ac rebus gestis fami-

O R A T I O.

famigeratam ; cui fato quasi virtus , eruditio, multifariæ artes, atque opulentia deberi videntur. Vnum hoc defuit , ut quemadmodū innumerabilem semper doctissimorum hominum summorumq; artificum intra pomeria vestra continuistis numerum; sic Athenæum quoque & Musarum delubrum mœnibus vestris includeretis. Quod antehac à nonnullis fortè tentatum , ab omnibus expectatum , vos V. Ampliss. hoc tempore , cum bono Deo , perficitis : ac multorum principum cogitationes decreto & munificentia vestrâ antevertitis.

Et nostrum itaq; & posteritatis est, hæc gratâ animi recordatione perpetuò recolere; ac fausta omnia histam preclaris cœptis ab immortali numine precari. Si enim inter paganos lucis Euangelicę expertes , quibusque Fortuna in rebus humanis utramq; paginam facere credebatur, solus naturæ instinctus tantum potuit, ut à Iove novarum rerum sumerent auspicia ; quid nobis qui Euangelij radiis circumfundimur , prius esse debet, quam ut in solenni hujus Athenæi inauguratione summum illum omnis sapientiæ authorem precemur , ut quæ hic egimus, aeturique deinceps sumus bene feliciterque vertat, nostrosque docentium & dissentium conatus ritè secundet.

Illustra tu nos O Iustitiae Sol. Vigeat, valeatque magis ac magis Magistratus ; vigeat, valeatq; Res-

J V S T I L I R A E I O R A T I O.

publica; vigeat, valeatque illustre hoc gymnasium;  
exulet à nobis vitium & Erynnis, sit hæc schola  
sincerioris sapientiæ Lyceum & Academia, sit ve-  
ræ virtutis portus, sit nudæ veritatis inexpugnabilis  
arx, sit honoris & gloriae asylum, sit justitiæ Areo-  
pagus, sit rectarum animarum Prytaneum; fa-  
mamque & gloriam ad orbis terminos extendat, ac  
*Canescat seclis innumerabilibus.*

Quod ex animo appreco, atque in hoc voto finio.

D I X I.

---

E P I G R A P H E  
Illustris Gymnasii

Reip. Ultraject.

*Clavigeri sapere & fari ut sub fascibus agni  
Posbis, cum Latio heic personat Atthis, Heber.*

---

I. LIR.

H E N R I C I R E N E R I

Philosophiæ Professoris

O R A T I O

I N A V G V R A L I S

D. 2

Lectionibus ac Exercitiis  
Philosophicis.



OGITANTI mihi de argumentis ,  
quæ illustri huic ac splendido lo-  
co , tot ac tam præclaris omnium  
ordinum ac ætatum auditoribus ,  
tantæ denique solennitati non ini-  
donea forent , varia occurserunt .

Vrbis hujus splendor , amoënitas , salubritas , oppor-  
tunitas , ipsum Apollinem cum Musarum choro  
huc evocatura , oculos protinus perstringebant , &  
sterilem ac jejunum in dicendo hominem imple-  
bant extemporañeâ pene facundiâ . Laudatissimum  
vero amplissimi ac prudentissimi Magistratus in-  
stitutum , civium & exterorum , Reip. ac Ecclesiæ  
totius bono suscepimus , non minùs überem segetem

H E N R I C I R E N E R I

suppeditare poterat publici boni , & artium cultu-  
ræ amantissimo. Quid dicam de cæteris incolis  
quam plurimis , quos omnimoda eruditio & multi-  
plex rerum usus, stellarum instar,in splendidissimæ  
hujus urbis cœlo collocavit? quorum laudes non  
prius æquaveris , quæm artium & authorum omni-  
um, in quibus se velut in palæstra diutissimè exer-  
cuerunt, amplitudinem percurreris.

Sed peregrino mihi & vix urbem ingresso non  
fuit fax in alienam messem mittēda. Pertinere cre-  
debam adeò illustres materias ad eos , qui diuturna  
hoc in loco habitatione penitiorem acquisivis-  
sent tantarum rerum notitiam , quiue orationis  
apparatu & verborum luminibus earum splendo-  
rem æquare possent. Itaque restrictis cogitationi-  
bus intra Professionis philosophicę mihi deman-  
datae limites , quatuor potissimum incertum quid  
deligerem diu suspenderunt.

Aut enim ( ut de his duobus prius referam) re-  
cepto plerisque more Philosophiam laudare , aut  
ad eam hortari consultum videbatur: quorum u-  
troque splendor arti , quam tractaturus sis , para-  
tur , & generosis adolescentibus ardor ingeneratur  
ad eam amplectendam. Accedebant præparata la-  
boribus aliorum, qui in hoc campo se exercuissent,  
adminicula, quibus freto & res eximiæ , & præcla-  
ra verba in promptu fuissent. Sed nec diserti aut  
eloquentis nomen falso titulo & momentanea qui-  
dem

## O R A T I O.

dem hac actione parare volui , quod deinceps red-  
argueret vel stilus in scribendo , vel in differendo  
cum privatim tum publicè oratio minùs compta :  
& primus ille impetus , quem adolescentum animis  
imprimunt ejusmodi orationes mox languescere  
solet , quique toti ignei videbantur dum arrestis a-  
nimis atque auribus præclara illa , quæ de Philoso-  
phia magnificè dicebantur , audirent , non multò  
post glacie frigidiores evadunt ; seu quod ita ferat  
rerum natura , seu postmodum deterriti itineris dif-  
ficultate , seu quod non protinus deprehendant eos  
usus , quos in recessu & abditissimis suis penetrali-  
bus philosophia continet , & scrutatoribus ubertim  
promittit ac promit .

Duo supererant argumenta , quæ propensus ad  
publicam utilitatem pro virili promovendam affe-  
ctus suggesserat . Alterum quidem de caussis con-  
temptæ ac jacentis hodie philosophiæ , ejusdemque  
mali remediis : alterum de officii mei ac instituti  
ratione in tractanda cum publicè tum privatim no-  
bilissima hac studiorum parte .

Triennium pene est ex quo ad Illustre Daven-  
triensium Gymnasium evocatus caussas nonnullas  
prolixè satis exposui , cur hæ disciplinæ olim  
in Græcia adeò florerent , quæ nunc apud nos  
squallidæ sunt , & apud plerosque omnes despiciuntur .  
Cum sub incudem hanc seu orationem seu præfa-  
tionem revocarem , videbam plenius & accuratius  
de

## H E N R I C I R E N E R I

de toto hoc negotio differi posse, caussasqué omnes tantę in deterius mutationis universim ad tria hæc potissimum capita referri; ad discipulos, ad Professores, ad fautores seu patronos. Adolescentes luce mathematicorum elementorum destituti accedunt contra receptum veteribus ac laudatissimum morem ad abdita hæc sacra; ardor in accessu non tantus quantus olim; constantia minor in progressu; denique ut quidam constantiores sint, nimis angustis temporis spatiis universum studiorū cursum definiunt. Qui verò philosophiam profitentur, (si paucos excipias,) vel eloquentia, qua suos sermones condiant, vel experientia, quâ sua principia stabiliant, vel utrisque destituti longissimè absunt à veterum philosophorum in hisce duobus excellentia. Mecænates verò, qui privatos eruditorum conatus vel præmiis pensent, vel sumptibus collatis ulterius promoteant, nulli pene hodie præ tanto eorum apud veteres numero, quorum liberalitatē non tam philosophi, quam philosophia ipsa opiparè habita olim alebatur, crescebat, & floridam illam faciem ostentabat, cujus imaginem veterum scripta referunt. De quibus omnibus si repetitis ex veteri memoria exemplis ageretur, facile intelligitis, Auditores, quam ampla ex singulis surgeret dicendi materies.

Sed ne aëtum agere viderer apud eos qui olim me de hisce rebus fusius differentem audiverunt,  
tandem

O R A T I O.

tandem de lectiōnibus ac exercitiis philosophicis quæ tūm publicē tum privatim ad juventutis utilitatem ipsiusque philosophiæ splendorem haberi possint, agere constitui, eademque opera testatum apud omnes facere studium promovendę pro ingeniī viribus utilitatis publicæ.

Sed ecce latius exspatianti per hunc campum, omniaque quæ ad hanc rem pertinere viderentur minutius consideranti ea rerum multitudo ac copia sese obtulit, quæ vix integris voluminibus, ne dum oratiuncula, caperetur, si singula oratorum more deducenda, ac illustranda forent. Quid igitur consilij? Si enim horum omnium unum aliquod longiori orationis filo deducere tentavero, cætera reticere cogar, & plurima silentio involvere, quæ forsitan studiosæ juventutis interest non prorsus ignorari: sin ex adverso omnia in compendium contraham, quām longissimè recedendum erit à recepta hactenus dicendi consuetudine, & orationis loco catalogus ac merus index meditationū mearum proponendus. Quæ res, quia omni ornatu caret, & jam defessa sunt aures vestræ etiam suavissima ac elegantissima eorum qui me antecesserunt dictione, non potest non magno fastidio audiri. Sed futurum vicissim spero, ut si eloquentiæ laude, quæ nulla in nuda enumeratione esse potest, caream, non ingratum vobis, Auditores humanissimi, sit studium, quo feror ad Liberales Artes pro

H E N R I C I R E N E R I

virili promovendas , cuiusque imaginem ac veluti typum esse velim hanc ipsam rerū à me quantumvis sterili ac jejuno stilo dicendarum seriem.

Omissa publicarum disputationum curā , quòd hac in re receptum passim in omnibus Academiis morem sequi constitutum sit , duo potissimum superesse video , quibus promovere solent artium ac facultatum omnium Professores studiosæ juventutis studia ; lectiones publicas , & domestica collegia , quorum ritè institutorum ductu gradatim a surgimus ad scientiarum fastigium.

Cogitanti de lectionibus hēc occurrerunt , & authorem delendum , & ubi delegeris doctrinam ejus optimā & ad dissentium usus accommodatissima ratione tradendam esse . Inter autores protinus apud me prævaluit philosophorum princeps Aristoteles . cuius rei eti sufficiens argumentum suppeditaret exemplum clarissimorum duorū philosophorum , qui in proximis huic urbi urbibus magna nominis sui celebritate , magno auditorum applausu , singulari dicendi ac docendi gratia , insigni denique cum fructu Peripateticam philosophiam proponunt ; libuit tamen penitus disquirere , & se posito affectu omni dispicere , jurene Aristoteli hic honos deberetur , quem videbam passim & toto penè orbe ei deferri . Cumque animo repeterem , & quæ publicè essent notissima , & quæ vitæ ejus historia suggerebat , deprehendi hunc morem summa

cum

## O R A T I O.

cùm authoritate, tùm ratione niti. Authoritatis & existimationis summæ argumenta offerebant coævi Aristotelis & posteri. Inter coævos Philippus Macedo, & magni patris magnus filius Alexander, denique concives ejus Stagiritæ. Philippus Mace-  
do nato sibi filio Alexandro in hunc sensum ad A-  
ristotelem scripsit : *Filium mihi genitum scito, Diisq;  
gratias habeo, non proinde quod natus sit, sed nasci conti-  
gerit temporibus vitæ tuæ : spero enim fore, ut edocitus e-  
ruditusq; à te dignus existat & nobis & rerum nostrarum  
susceptione. Vale.* Et postmodum Alexander profes-  
sus est plus se debere præceptorí suo Aristoteli,  
quàm Philippo parenti: quòd ab hoc ut viveret, ab  
illo ut rectè viveret & regere posset haberet. Nec  
maxima defuerunt ab utroque præmia , dum ille  
Stagiram ejus patriam sedem à se ante dirutam ex-  
ædificavit, ac cives fugatos aut servos factos pristi-  
næ libertati in integrum hujus unius caufsa resti-  
tuit. Atque hinc Stagiritæ & Legislatorem sibi de-  
legerunt, & defuncto divinos honores detulerunt,  
annuo festo in ejus honorem instituto. Apud poste-  
ros verò quantæ fuerit existimationis arguunt tum  
dicta honorifica de eo , tum facta varia , quorum  
nonnulla è multis in medium proferre sufficiet.  
Verba hæc sunt de eo Ciceronis ; *Quis omnium do-  
ctor, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis , vel ju-  
dicandis acrior Aristotele fuit? Plinius verò summum  
in omni doctrina virum appellat. Plura ac illustriora*

de hoc viro discere luet? tria sæculi hujus lumina maxima suppeditabunt; Iulius Scaliger in Exercitationibus, in libris de re poëtica, in Heroibus; Lipsius libro primo Stoicæ philosophiæ dissertatione iv. Daniel Heinsius in orationibus aliis pluribus locis.

Facta quæ testantur de Aristotelis præ aliis omnibus dignitate apparent in hujus authoris operibus integris exscribendis, in varias linguas transferendis, ac tandem amplis commentariorum voluminibus, vel prælectionibus illustrandis, quorum exempla suppeditant Græci, Arabes, Latini prioribus ac posterioribus seculis; idemque testantur Academiæ universi prope terrarum orbis, Bibliothecæ, Professores latè dispersi per Europam, Asiam, imò & Indianam utramque. Quin referunt Chosroen Persarum regem cuncta Aristotelis scripta memoriae mandasse. Ac ne ineptus quispiam è philo- phastris & argutulus nugator regerat, rationibus non auctoritate hac in re nitendum, primum qui- dem ex te, quicunque es, quæro, tene in causa eruditio- nis præferes tot eruditorum Græcorum, Ara- bum, Latinorum, veterum, recentium judiciis, qui constanter ita senserunt & eruditio- nis philosophiæ palmam uni Aristoteli tribuerunt? Sed seponamus autoritatem, & authorem ipsum tibi forte solo titulo notum, & calumniis nuperorum quorundam exosum redditum sistamus ob oculos. Hæc ex his- to-

## O R A T I O .

historia discere poteris. Acutissimi ac sagacissimi ingenii virum fuisse Aristotelem; cui doti indefessa industria conjuncta fuerit. Integros viginti & tres annos diligentissimum fuisse auditorem Socratis & Platonis ; illius quidem triennium , hujus verò viginti totos annos. Eodem tempore omnes omnium philosophiq; sectarum authores diligentissimè evolvisse. Ex Academia ad Philippi ac Alexandri aulam evocato aliquot hominum millia in totius Asie ac Græciæ tractu parere jussa , qui referrent quicquid de animalibus observassent , percunctantique responderent. Hi omnes ex eorum genere erant quos venatus , aucupia , piscatusque alebant , quibusque vivaria , armenta , alvearia , piscinæ , aviaria in cura erant. Vnde natum præclarum illud de Animalibus opus , cuius præstantiam pensavit Alexander octingentis talentis , id est ( ex Francisci Patritii reductione ad nostratem monetam ) decies sexies centenis florenorum millibus. Aula relicta postmodum totos tredecim annos publicè ea esse professum , quæ tot annorum antecedentium labore indefesso & diuturna experientia sibi comparasset. Quo tempore omnes suos libros scripsisse creditur , præter eos qui de Animalibus , & qui ad eloquentiam ac φιλολογίαν pertinent , quos , dum esset cum Alexandro , conscripsit. Ac ne quid ei deesset earum disciplinarum , quæ vel philosophum apprime juvare vel insigniter ornare possent , in medicina , mathesi , ac

H E N R I C I   R E N E R I.

eloquentiæ arte excelluit: Toto enim eo tempore, quo Platoni audiēdo vacavit, tum artis ipsius causa, tum quod facultates essent tenuiores, pharmacopoliī artem, more veteribus medicis familiari, nec non etiam medicam exercuisse traditur. De Matheſi nemo dubitare potest, qui vel morem veterum Græciæ philosophorum noverit, vel libros Aristotelis inspexerit, in cuius loca mathematica integri libri conscripti. Eloquentiâ verò tantâ fuit, ut nec quisquam melius præcepta ejus tradiderit, & Cicero aureum eloquentiæ flumen vocaverit. Iam si opera ejus inspicias, invenies universa omnium philosophiæ partium præcepta in iis prolixè ac doctissimè tradita, exposita, discussa. Ex libris Problematum, ac de Animalibus disces quām sedulus fuerit naturæ observator, & quām sagax causarum indagator.

Sat multa, & prolixius quām initio proposueram, verba fecisse videor de Aristotele ejusque præ cæteris omnibus præstantia, quæ non in alium finem ob oculos posita, nisi ut sarta tecta maneret sua veteribus gloria, quæ in hoc uno viro tanta fuisse deprehenditur, ut solis instar cæteros philosophos, tanquam luminaria minora, ex mentis nostræ oculis evanescere faciat.

Nunc ordo dicendi postularet, ut de optima Peripateticæ doctrinæ auditoribus proponendæ ac exponendæ ratione aliquid attexerem. Sed quoniam

O R A T I O .

niam primis aliquot lectionibus , veluti longioris præfationis loco de tota hac materia agere constitutum est , nihil aliud nunc dicam , nisi daturum me operam pro industria ac ingenii viribus licet exiguis , ut obscura perspicuè , & confusa distinctè ac methodicè proponam , delectuque factò maximè necessariorum , superfluꝝ , aut minoris usus rejiciam , in tanta præsertim vité nostrę brevitate . Sed quoniam optima quæque dogmata Aristotelicorum libroruꝝ , qui in Academiis explicari solent , etiam dexterimè à clarissimis philosophis proposita , nauseam delicate juventuti nescio quam adferre solent , ignaræ quantum momenti reconditum pateat in generalioribus philosophiæ præceptis ad cæteras omnes artes ac facultates olim felicius adipiscendas ac ad usum revocandas , miscendum est utili jucundum , & amaro dulce . Ei fini condimenti veluti loco propositum est lectionibus physicis singulis subjicere nonnulla problemata de causis plurimarum rerum , quas quotidie vel in cælo , vel in aëre , vel in aquis , vel in terrâ natura & ars sensibus nostris offerunt , quæque in conviviis , aut conversatione quotidiana , aut doctorum colloquiis gratiam cum utilitate singularē conjunctam habent : lectionibus verò logicis , tædio earundem levando , locus aliquis illustris ex oratore , poëta , aut historico subjici possit , in eum finem , ut artificio bene differendi primùm observato , peculiares deinde

H E N R I C I R E N E R I

inde regulæ eruantur duces futuræ ad optimè differentium imitationem.

A lectionibus publicis venio ad domestica collegia, minus quidem splendoris, sed plus sæpè utilitatis habentia. Ea autem (de philosophicis tantum loquor) vel tironum sunt vel eruditorum. Tironum duo genera : alii siquidem ad studiorum metam, vel proprio errore, vel pernitoso aliorum consilio, vel inopia urgente festinant : alii justi temporis spatiū impendere & volunt, & per facultates possunt, vel optimè sentientium ac eorum bono consulentium suggestione, vel studio cæteros olim longè antecellendi adminiculo philosophiæ, quâ instructi & perspicacius omnia vident, & solidius de rebus judicant, & optima quæque ex optimis ad suos olim, vel Reip. vel Ecclesiæ usus diligere noverunt.

Prioribus illis sufficere possunt collegia vulgo haberi solita, in quibus compendium aliquod probatissimum præceptorum Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ, aut Ethicæ proponitur. Horum autem collegiorum quadruplex esse solet ratio : aut enim Professor privatim dictat synopsin aliquam illarum philosophiæ partium ; aut compendium jam editum discipulis audientibus exponit ; aut alternis vicibus explicat, alternis exanien instituit ; aut denique ventilandas proponit artium illarum materias. nisi forte velis & quintam addere, in qua doceatur,

## O R A T I O .

tur, respondeatur ad interrogata , disputetur. Ha-  
rum ea est optima in qua plus industria & æmula-  
tionis , quibus tanquam alis studiosa juventus af-  
surgit ad scientiarum culmen. Id autem tum acci-  
dit, cum post diligēter exceptam auribus, vel etiam  
chartā Professoris interpretationem, memoria ex-  
ercenda ad promptè ac fideliter eadem postridie  
reddenda, ac tandem ingenium acuendum vel ad  
excogitanda in utramque partem argumenta , vel  
ad eadem ex tempore solvenda.

Generosis verò adolescentibus, quibus excelsior  
indoles ardorem indidit perscrutandi penitus re-  
condita philosophiæ mysteria , ex iisque eruendi  
fructus, quorum nec suavitatem, nec numerum, nec  
magnitudinem oratio ulla expresserit, post absolu-  
tum vulgari more philosophiæ cursum, similia erūt  
quæ viris exercitia : hoc tamen discrimine , quod  
in virorum conventu ipse professor socius operis sit,  
non dictator aut ductor ; hīc verò doceat , dirigat,  
juvet, corrigat. Supereft itaque ut de eruditorum  
philosophicis collegiis agam , & quidem logicis ac  
physicis , quòd has solum philosophiæ partes pri-  
mus annus sibi sit vindicaturus , & facile fuerit ea  
quæ dicturus sum per analogiam traducere ad phi-  
losophiam moralem. Collegia logica à vulgaribus  
illis & passim haberi solitis distincta cum multipli-  
cia institui possint , tria tamen præfero ; locorum  
communium, Analytica, & Methodica.

A a

Locos

H E N R I C I R E N E R I

Locos communes velim esse potissimum triples, Epistolicos, Oratorios, Historicos. Ad Epistolicos, si philologicam eruditionem, & famam quæris inter hujus seculi eruditos, apprimè facient Erasmi, Politiani, Scaligeri, Baudii, & selectiores clarorum aliquot virorum epistolæ non ita pridem Lugduni Batavorum editæ. epistolarum nempe mutuo cum doctis ac magnatibus commercio potissimum nititur eruditorum fama, gratia, dignitas. Oratorios dabunt inter veteres præcipui Demosthenes, Æschines, Aristides, Isocrates, Cicero; inter recentiores Oratorum nostri sæculi facile principes Muretus & Heinsius, quibus accedere poterunt Perpinianus, Kircknerus, Majoragius. Ex his tanquam ex copiæ cornu uberrima affluet eloquentiæ copia in Academiis, in foro, in senatu olim summo splendori futura. Inter Historicos græcos excellunt Herodotus & Thucydides; inter latinos Livius & Tacitus. Si dextrè conficerentur in hofce ac similes authores loci communes, haberemus ad omnem humanæ vitæ cùm privatæ, tūm potissimum civilis adminicula summa, & paratam ad dignitates viam. Huc quoque pertinere velim indices & marginalia ad optimos authores, sed summo judicio & accuratissimè elaborata. Vtinam extarent in eos & indices, qualem proprio epistolarum operi subjicit Lipsius, & marginalia, qualia idem author ad Cæsaris commentarios apposuit! Habe-

remus

O R A T I O .

remus his adminiculis freti penu veluti quoddam  
& promptuarium omnimodæ eruditionis. Sed pau-  
ci Lipsii , vel , ut generatim exprimam , pauci verè  
logici reperiuntur. à quibus tamen solis tantum  
beneficium ad remp. literariam accedere potest, ac  
tantum parandæ eruditionis compendium. Solius  
Logices lumine vera rerum genera deprehendun-  
tur , ejusque ignoratione adeò inepta & pene nul-  
lius usus in authores marginalia habemus , & indi-  
ces remorantes potius & turbantes, quàm suppedita-  
ntes ex voto quod quæritur. In indicibus autem  
& locis communibus , qui maximè ad usum facturi  
sint, concinnandis , præter logices peritiam ad de-  
prehendendos terminos ac sententias generales ,  
quibus res aptè indigetentur ac definiantur , duas  
insuper siugulis titulis adesse velim notas , quarum  
altera definiat loci communis qualitatem , id est,  
excellentiam ac præstantiam ; altera quantitatem,  
id est, quæ indicet per quot præcisè paginas fese ex-  
tendat quisq; locus communis paucis verbis com-  
prehendens rem prolixius deductam. Vtrumque  
notis numericis expedire soleo in hunc modum.  
Indicatà loci cuiusque communis paginâ à qua lo-  
cus initium sumit, idq; more recepto per numerum  
paginæ indicem , subjungo & alterum numerum,  
qui præcise indicet quàm latè se extendat materia  
titulo communi comprehensa. & integrum quidem  
paginam unitate , binas binario ; semipaginam a-

## HENRICI RENERI

liamve paginæ unius partem fractione numerica  
convenienti. Atque hunc numerum quantitatis  
indicem priori subjicere soleo , ac distinctionis  
caussa circulo includere. Ad notandam vero loci  
qualitatem seu præstantiam, præfigo ipsi titulo loci  
communis sinistrorum numericam quoq; notam,  
totidem unitatibus, quot dignitatis gradus mente  
adscribo cuique loco. Ac ne infinitus sit graduum  
numeris, quinario vel senario totam graduum am-  
plitudinem perfectionem metior , adeo ut quo  
nota numerica propius accesserit ad hunc num-  
erum supremæ excellentiæ indicem , eò præstantior  
locus significetur. Quanti autem momenti sint hæ  
notæ à me primum (quod quidem sciam) excogita-  
tæ, intelligetis ex multorum agrorum hæredis si-  
militudine , cui ut divitarum suarum magnitudo  
constet, non satis est scire quot agros h̄ic illuc ha-  
beat, sed quot jugerum singuli sint , atq; insuper,  
quanta cujusque præ alio sit fertilitas. Et multa-  
rum fodinarum præfectus non tam multitudinem  
fodinarum curat , quām latēne cujusque vena ac  
profundè se extendat , atque in primis aurumne fit  
quod ex hac illâve eruatur, an argentum, an æs, an  
ferrum, an argilla. Atque collegia hujusmodi lo-  
corum communium , aut locos communes ipsos in  
optimos quosque authores ritè & ad normam logi-  
ci judicii confectos inter desiderata pono, quorum  
accessu mirè locupletaretur resp.literaria, & maxi-  
mum

O R A T I O .

mum fieret studiorum compendium.

Sed jam tempus postulat ut ad secundum collegiorum logicorum genus accedamus , quæ Analytica dixi. In his omnis generis discursus, quos singularis virtus ac gratia commēdat , facili ac jucundissimo labore, synopseos seu tabulæ formâ, iphis authorum verbis, ita oculis subjiciuntur, ut cuiuslibet oratoris, poëtæ, philosophi , historici , commentatoris , disputatoris genius ac dotes animi omnes nō secus nec difficilius ferè internoscantur, atque corporis lineamenta in pictura eleganti apteque suo prototypo respondente. Ac licet in tota studiorum ratione nullum existimem aut certius aut facilius adminiculum ad omnem veterum eruditionem , ac eloquentiam in se paucorum annorum spatio ( si cui ab aliis studiis & occupationibus obstatulum non accedat) derivandam ; tamen quia res est quæ ocularem demonstrationem postulat , nihil de novæ illius Analyseos ratione tota ac fructibus qui ex ea hauriri possunt hīc dicam , nisi me parata habere varia specimina , quæ si paullo plus esset à publicis lectionibus (quas octo singulis septimanis habere cogar) otii, mox publicæ luci darem, ut qui tempore magis abundarent , hoc exercitio crebrò usurpato ac optimis authoribus adhibito, messem colligerent ex ea semente , quam primus fecisset in agro philosophico.

Postremum supereft eruditorum in logicis exercitium

H E N R I C I R E N E R I.

citium , quod methodicum dixi, quodque tanti faciendum , quanti ipsa methodus , quam Acontius ita extollit , ut in præclarissimo suo libello de methodo erumpat in hæc verba . Nec vero pigere studiosos debebit laboris quem impendere cognoscendo methodico huic usui oportuerit ; tantus enim nunquam esse poterit , quin illum cumulatissimè ejus sit utilitas compensatura . Evidem (inquit) si filius mibi esset aut adolescens quispiam alius & que carus , qui speraret habiturum se triginta annorum otium quod in literarum studiis insumeret , hortarer illum , ut potius integros viginti in assequendo vero methodi usu insumeret , quam ut eo contempo reliquis studiis totos illos triginta annos daret , minimèque dubitarem optimè illi consultum : pro certo enim haberem reliquorum decem annorum labore ad majorem eum solidioremq; eruditionem perventurum , quam si eare destitutus , aliis tantum in studiis etatem contereret . Quid autem intelligam per exercitia methodica dicam . Vellim vel generales admodum terminos assumi pro exercitii materia , vel indigestam singularium congeriem ; atque deinde genera illa summa , investigatis differentiis , continuata serie gradatim deduci ad infimas usque species , quibus exempla subjiciantur ; vel si exemplorum tumultuaria multitudo sit oblata , ea in ordinem & classes veluti quasdam , invento primùm supremo genere , pari artificio redigi . Exempli gratia occurrit in definitione Dialecticæ , artem esse bene differendi . Nostri confu-

## O R A T I O.

confusè discursuum mentis humanè varia esse genera. illa quære, inventa digere ac deduc paulatim ad infimos usque gradus. Alibi occurrent hi termini *Inventa*, *Instrumenta*, *Fallacia*, *Facetiae*, *Apophategmata*, *Similitudines*, *Sententiae*, ac sexcenti alii. Singulorum deductione prolixa ac minutim facta tabulam seu continuatam à summo ad imum seriem confice, inveniesque sub *Inventis* omnes opes ingenii humani, quibus nunc vel ad necessitatem, vel ad commoditatem, vel ad ornatum voluptatemque vi-  
tę utimur. Sub *Instrumentis* verò habebis variam su-  
pellecilem, machinas omnis generis, aliaque in-  
strumentorum genera, quæ si omnia methodicè di-  
gesta essent, voluptatemne an utilitatem majorem  
inde percepturi essemus, dubito. *Fallaciarum* verò  
genus si planè aliter, quam in scholis obtinet, per  
omnes fallendi modos ac rationes in vita humana  
ocurrentes deduceretur, quantum inde volumen  
consurgeret? occurrerent siquidem in militiâ stra-  
tagemata, de quibus integri libri conscripti: in au-  
licâ vitâ invidorum & adulatorū turba non mino-  
rem deceptionum varietatem suppeditaret, ut in  
mercatura mercatorum fraudes. Et furum historia  
gallicè edita justum volumen eorum insidiis ple-  
num continet. cui merito adjiciatur Meyeri liber  
de Alchymistarum imposturis. Sed hæ omnes de-  
ceptiones in perniciem aut damnum alterius tén-  
dunt. Sunt & aliæ, de quibus altum quoque apud  
diale-

H E N R I C I R E N E R I

dialecticos silentium , voluptati aut admirationi servientes. quales sunt variæ visus fallaciæ apud opticos. qualia quoque ludicra multa quæ à circulatoribus, aut magiæ naturalis peritis eduntur. Hisce fallaciis si accedant eæ , quæ disputando de rebus controversis committuntur (de quibus ferè solis logici tractant) habebis uberrimam segetem ad methodicum de fallaciis opus componendum, si nōris artem variè dispescendi eas in suas classes. Cum autem usibus tuis vel alienis suscipiatur hujusmodi deductio , & sœpè distinctio generalium terminorū petita vel à causis externis, vel ab effectis, vel à subjectis , vel ab adjunctis non minoris sit usus , quam ea quæ fit in species propriè dictas aut partes intergrantes ; velim mentem exspatiari per omne differentiarum genus, tum earum quæ à rei essentia pertinentur, tum earum, quæ desumuntur ab iis quæ extra rei essentiam sunt ; ut eas deligas quæ instituto tuo sint accommodatissimæ. Nec facetiarum, Apophthegmatum , sententiarum , similitudinum , aliarumq; plurimarum rerum ordine deductarum minor esset aut varietas , aut voluptas , aut utilitas. hocque exercitio , si à logices peritissimis susciperetur , novæ quotidie artes excitarentur , aut jam constitutæ mirificè & maximo Reip.literarię emolumento ampliarentur. Pergo ad Collegia Physica, quæ triplicia potissimum , sed ab idoneis hominibus, haberi velim; Observationum , Problematū, & Ex-

O R A T I O.

& experimentorum. Nomine Observationum intelligo diligentem & attentam considerationem omnium rerum sensu perceptibilium, quæ quamlibet rem singularem vel constituunt, vel afficiunt, vel circumstāt tūm cum esse incipit, tūm cum perdurat, tūm cum postmodum varias mutationes subit, tum denique cum corrumpitur, siquidem corruptioni obnoxia est. Nomine Problematum quæstiones designo, quibus inquiruntur rerum sensu observatarum causæ. Experimentum autem est applicatio causæ unius, vel plurium ad proprietatem rei incognitam vel usum ejus novum eruendum.

Observationes autem sunt vel propriæ, quæ propriis sensibus, vel alienæ, quæ aliena relatione habentur. Rursus observationes vel fiunt circa naturam sponte agentem, vel circa eandem quatenus humana industria intervenit. Prioris generis sunt eæ, quibus cōtemplamur quicquid est in cœlo, aëre, aquâ, terrâ, vel quicquid in illis sit sine ullius artificis operâ, quæ vel adminiculum observationis accuratioris suppeditet, vel aliquid circa naturam agat. Nomine eorum quæ *sunt* intelligimus cælum, stellas, elementa, meteora, mineralia, plantas, animalia; eaque omnia tūm secundum se tota, tūm secundum partes considerata; & in his omnibus tum quantitatem, tum figuram, tū qualitates quilibet sensu perceptibiles. nempe quatenus illa omnia sunt in natura & pendent à naturalibus

H E N R I C I R E N E R I

causis sine hominis liberè agentis concursu. Per ea  
verò quæ fiunt, rerum omnium sibi relictarum acti-  
ones ac mutationes comprehendimus. Posterioris  
generis observationes sūt eç quæ circa easdem qui-  
dem omnes res fiunt, sed quatenus humana indu-  
stria aliquid vel adminiculi suppeditat observanti-  
bus, vel res ipsas veluti subigit & ea agere pative  
cogit quæ aliàs futura nunquam fuissent. De his  
lubet paulò fusiùs differere, & veluti manuducere  
studiosos naturæ rerum cognoscendæ ad officinas  
ex quibus observationes ejusmodi petere possint;  
quando alias illas ex ipsius machinę mundi, prout à  
solo authore naturæ creata est & legibus certis  
quotidie regitur, contemplatione petere liceat. Cū  
autem observationes quæ fiunt circa rerum natu-  
ras cum interventu humanæ opis ac industriæ, ne-  
cessariò fiant vel circa corpora simplicia vel circa  
mixta, adeamus omnis generis artifices, qui circa  
ea quocunq; modo occupantur, observemusque a-  
pud quemlibet & quid agat, & quibus ad actiones  
suas ac opera adminiculis instrumētisue, & quomo-  
do utatur: initiumque sumamus à cœlis ac elemen-  
tis, ut deinde ad corpora mixta accedamus. Ad na-  
turam doctrinamve cœlorum & astrorum faciliùs  
ac feliciùs assequendam, naturæ nostræ imbecilli-  
tati sublevandæ varia excogitata adminicula: ad  
repræsentandam nimis alioqui latè diffusam cœle-  
stem machinam, motuumque qui in eâ à stellis fi-  
unt

O R A T I O.

unt limites definiendos, sphæræ accommodatissimè inventæ : ad dimensiones altitudinum , distantiarum, & quantitatis cujusque stellæ, Astrolabia, Annuli astronomici , Quadrantes , Sextantes aliæve machinæ aptantur : ad dimetiendos astrorum motus , periodosque distinguendas, sciatericis , clepsamidiis , clepsydris , ac horologiis omnis generis utimur. Ad detegenda ea quæ propter nimiam distantiam vel conspici nequeunt vel non ita distinetè agnoscí , telescopia non ita pridem excogitata, quorum ope & plurimæ stellæ fixæ detectæ , & planetæ novi, & maculæ in sole, & quidpiam montibus non absimile in luna , & Venus lunæ instar crescens ac decrescens. Hæc omnia, horumque fabricam & usum peti velim ab astronomis aliisvè artificibus, qui hisce parandis vacant. Circa elementa verò multò major fæse offeret observandorum materies , quandoquidem non modò conspici possunt, ut cœlestia illa corpora, sed etiam tractari ac regi. Si itaque lubet scire quid humanum ingenium circa ignem aut aliquatenus ad ignem pertinens excogitarit , adi eos omnes apud quos ignis ad varios usus adhibetur. Pyrotechnici pulvrem pyriū dabunt, aliasvè ignium artificialium cùm materias, tūm formas , tūm ad eos conficiendos idonea instrumenta. Apud fabros videbis folles, ac carbones tum fossiles tum factios è lignis. In chymicorum officinis , in quibus Vulcanus frequens , invenies

H E N R I C I R E N E R I

varia instrumenta , quibus ignis vim vel æqualiter regunt , vel certa proportione augent minuuntvè. Focum & domesticos lares inspice, ecce tibi candelas sebaceas ac cereas, ecce ignitabulum, sulphurata, fomites ignis, & ignem ipsum vel è lignis , vel è carbone fossili , vel è cespite. Omnia hæc diligenter & sigillatim singula considera, collige, & in observationum librum repone. Circa aërem ejusque vim motricem habes machinas Heronis omnis generis , quas integro Spiritalium libro comprehen- dit : & temperiei ejus exactissimè deprehendendæ serviunt variæ formæ vitra , in quibus liquor pen- dulus , ascensu ac descensu reciproco , minimas quasque aëris mutationes secundùm calorem & frigus indicat. Et hæc quoque omnia cæteris obser- vationibus abscribe. Aqua verò admodum exer- cuit hominum ingenia : cum enim haurienda esset ad domesticos usus , siphones & putei cum suis ap- pendicibus excogitati : cum naviganda , naves : cum exhausti lacus, machine variæ : cum aqua vividiūs in altū propellenda foret, fontes multipli- cis formæ inventi. Subsistit ad hæc omnia , lustra, perlustra, & memoriæ causa effinge formam , par- tesque describe. De terrâ ejusvè culturâ aratione , occatione, fimo, argillâ, cineribus, calce, agricola te docebit. Quanta in his omnibus sit seges, quan- ta ex hujusmodi rerum diligentí observatione vo- luptas , quanta utilitas hauriri possit , non dubito  
quin

quin perspicaciores videant. A simplicibus ad mixta proprio, & quia eorum multitudo propè infinita, paucis percurram præcipuas eorum species, quidque humana sagacitas circa eas excogitarit notabo: sed pace vestra, Auditores, liceat subinde artium usurpare terminos, licet minus latinos. Circa corporum mixtorum amplitudinem Chymici se exercent, vel olea, vel spiritus, vel aquas fortes, vel salia, vel vitriola, vel flores, vel calces educendo; & horum alia quidem ex vegetabilium genere, alia ex animalibus, pleraque ex metallis; idque vel distillando, vel sublimando, vel calcinando tam igne aperto quam per aquas fortes. In hac officina multitudinem habes tum instrumentorum, tum rerum eorum beneficio è mixtis eductarum, adeoque materiem multæ ac diuturnæ observacionis. Mixta autem in specie sunt in triplici differentia (quod ad præsens institutum attinet:) vel mineralia, vel plantæ, vel animalia: nam circa meteora nihil, aut parum admodum potest humana industria. Mineralia quod attinet velim præcipue in iis considerari metalla & lapides. Metalla ferè vel eruuntur, vel repurgantur, vel funduntur, vel ceduntur tundunturve, vel ducuntur in fila, vel attenuantur in folia. Si eruantur consule fossores & minerarum præfectos: si repurgentur mineræ, eorum fusores adi, videbisque fornaces, instrumenta, materias fusionem promoventes, modum denique

## HENRICI RENERI.

his omnibus utendi , dum mineræ in metalla pura evadant, quæ si fundantur vel ad statuas, vel ad campanas, vel ad tormēta bellica , vel ad supellectilem variam, ij adeundi apud quos hæc fiunt. Si cudentur ad monetam, monetarij consulendi; si tundantur ad varios usus , de auro aurifabri , de argento , de ære , de ferro ij te docebunt , qui circa hæc versantur. Si ducantur in fila vel ad fides musicorum instrumentorum, vel ad ornamenta vestium, vel ad alios usus; aut si in tenuissimas bracteas tundantur, inquire ubi hæc fiant, & quomodo. Si denique alia fiant vel circa metalla, vel ex metallis, omniū rationem ab iis exquire, qui in hisce occupantur. Pro lapidibus verò gemmarij , & lapicidæ adeantur. Plantæ & bestiæ conjunctim considerate , quatenus cibi materiam præbent, coquos exercent. Sed si singula genera seorsim spectes, de plantis integris respondebunt agricolę, hortulani, botanici, florum denique & vitium cultores. Circa plantarum partes , & pro partium & pro artificum varietate multa dicenda essent , sed sufficient præcipua. Circa frumentum occupantur molitores , pistores , & cerevisiæ coctores. Ex semenibus rapistri , ac lini oleum arte educitur. Quod ad fructus attinet, & asservandorum, & condiendorum modos omnes, aut optimos saltem edisces. Epidermis seu pellicula duarum plantarum, lini & cannabis, in fila primū nendo dicitur; mox illa contexuntur vel simplici vel

O R A T I O.

vel damasceno seu variegato opere , ac tandem cōtexta lintea dealbantur & à sordibus eluuntur. Quę instrumenta, quę materiæ, qui modi hisce omnibus perficiendis secundūm locórum variam consuetudinem adhibeantur, considerare ne crēdas inutile, cum tanta ex his omnibus ad humanum genus redeat utilitas. Nec penè minoris usus est plantæ cujusdam lanugo, gossipium dicta , cujus par pene atque lini cura. Denique est & circa succum duplēcēm cura multiplex: circa alterum quidem ad ciborum præcipuum condimentum , circa alterum ad generosissimum potum eliciendum. Succos intelli-  
go calami illius nobilis, è quo saccharum educitur,  
& uvarum, è quibus vinum. Qui saccharum varie excoquunt , aut ex eo bellaria parant de priori illo succo abundē te erudiant , ut de posteriori œnopola. Ad animalia festino , bestias nempe & homines. In Brutis duo considero , species scilicet , & partes. Bruta ipsa sunt majora vel minuscula. Majora si spectes,circa pisces versantur pescatores,  
& piscinarum præfecti. Circa aves ars est tum capiendarum , tum alendarum, tum instituendarum. Circa feras præcipue occupantur venatores ; circa cicures, pastores, & sigillatim circa equum equis-  
ones. Minuscula verò duo animalia maximam obseruationum nobilissimarum ac generi humano utilissimarū copiam nobis suppeditant, apes & bombyces. Apes quidem industria humana nobis ce-  
ram,

H E N R I C I R E N E R I

ram, mel, & hydromel conferunt: Bombyces vero  
quicquid penè est splendidarum vestium. & ser-  
cum quod ab iis habemus tantà curâ à tot artifici-  
bus præparatur, texitur, tingitur, ut non sine sum-  
ma admiratione humani ingenij hæc omnia sis ob-  
servaturus. In partibus animalium excellunt inter  
internas sævum ad candelas, oleum è balena ex-  
pressum ad varios usus; inter externas pelles & la-  
na variè exercent artifices qui circa illa occupan-  
tur. De brutis dictum. Sed quam varias ac multi-  
plices nobis observationes suppeditabit homo, si  
consideremus artes quæ ipsum hominem, aut ejus  
facultates internas, aut externam formam respici-  
unt ac curant? Sanitati ejus serviunt pharmaco-  
polæ & chirurgi, quorum officinæ diligenter per-  
lustrandæ ob varia instrumenta, & multiplicem  
pharmacorum tūm sumplicium, tūm composito-  
rum præparationem, in qua multa naturæ arcana  
latent. Pulchritudini nativæ conservandæ, vel ad-  
scititiæ variis fucis acquirendæ vacat cosmetica.  
Ad visum refertur optica, ubi specula omnis gene-  
ris & vitra varia occurunt, quorum alia ad utilita-  
tem faciunt, ut perspicilla, telescopia, microspia,  
specula tum vulgaria tum ustoria: alia ad volunta-  
tem admirationemve, ut specula multiplicantia nu-  
merum rerum visarum, vel augmentia supra modum  
corporum magnitudinem, vel formâ planè mon-  
stroſa reddentia hominis faciem, vel situm rei visæ  
per-

O R A T I O.

pervertentia , vel loco insolito , (puta in aëre ante speculum) imaginem rei fistentia , vel denique alterius personæ faciem reddentia dum tuam speculo objicis. Huc pertinent admirandæ ac jucundæ picturæ rerum externarum in cubiculo obscurō , ubi in superficie parietis vel tabulæ albæ , horti , homines , larvæ , serpentes multò perfectius apparent , quām in Apellis aut Zeuxis tabulis. Nec præterreunda iris beneficio optices in aëre producta , naturali nihil cedens neque pulchritudine , neque magnitudine. Auditui serviunt oblectando varia instrumenta musica , quorum hæc præcipua , tubæ , cornua , tibiæ , fistulæ , organa , quæ vento reguntur : & chelis , testudo , cythara , clavicymbalum , quæ fidibus constant ; plurimaque alia. Ad scribendi laborem minuendum ars typographica inventa , ubi atramentum , typi , prælum consideranda erunt. Ad idoneum scriptionis subjectum charta & pergamenum excogitata , quæ propter artificium singulare diligenter quoque examinabuntur. Sed infinitum esset singula minutissimis deducere , satque multam materiem observationum naturæ rerum cognoscendæ avidis suppeditasse videor. De ratione verò optimâ observandi & hæc omnia , & quæcunque porro alia in amplissimo hujus orbis theatro occurrent , nihil aliud dicam , nisi requirere me cupidum , attentum , & ad omnia circumspectum observatorem , qui nihil elabi patiatur , & nominatim in artis

C c

operi-

H E N R I C I R E N E R I

operibus velim observet instrumenta , eorumque fabricam ; inde opus ipsum his instrumentis confeatum , ejusque cum materiam , tum formam ; ac tandem ad modum ac circumstantias omnes actionum , quibus artifices sua perficiunt opera , diligenter adverat . In naturae vero ipsius operibus primum consideret quicquid in iis se sponte offert & eum primum nascuntur , & cum temporis lapsu varia vel agunt vel patiuntur ; deinde illa , si in manu & potestate nostra sint , sub experientiae multiplicis incudem revocentur , ut longe plura observari possint , quae alias perpetuo delitescerent .

Observatione diligenter instituta , proxima cura erit ut causae horum omnium inquiratur , cur nempe aut talia sint , aut taliter fiant . unde demum vera scientia resultabit : scire enim tum demum dicimus , cum rem per causas cognoscimus . Atque in hanc curam incumbet collegium Problematum . Postremus labor , & ex prioribus illis tanquam fructus resultans est Experimentorum , seu investigationis novorum operum ac proprietatum , quae similem usum , aut majorem habeant in vita humana , atque illa omnia inventa , quae adeo multa mox recensui , necessitati vel commodo vel ornatui hominum servientia .

Satis multa suggestisse videor , quibus abunde constet non quidem de facultate mea ac viribus ad augendam ac illustrandam philosophiam , sed de studio

## O R A T I O .

studio ac voluntate optima. Utinam per otium liceret adeò præclaris ac utilibus exercitiis cùm logicis , tūm physicis , meo & aliorum bono præcipuam temporis partem impendere , iisque non immorari modo , sed immori ! Quid enim jucundius , aut optimè differentium oratorum , poëtarum , historicorum , aliorumve lectione , selectione , analysi ? aut rerum à summo Deo creatarum & hominis industriæ subjectarum contemplatione ? Etsi enim ad hæc ipsa feliciter præstanta philosophia vulgò tradi solita apprimè est utilis ac necessaria , tamen miserum est , postquam adminicula paraveris tibi , otium iis utendi non concedi. Nonne infelicem eum agricolam existimes , qui semper arare aut sere cogatur , ut postmodum alij metant ? talis est philosophiæ professorum conditio . aliis instrumenta ad omnimodam eruditionem ac eloquentiam suppeditant , & dum labor ille tradendorum assidue cùm privatim tūm publicè ejusmodi instrumentorum in orbem reddit , nunquam ferè iis uti possunt. Nos veluti fabri sumus : clypeos & enses aliis cudi mus. Ergo quemadmodum non satis est ad bellum feliciter gerendum exstare in republica fabros qui arma cudant , sed insuper gladiatores qui dextrè tractandorum rationem milites doceant ; ita & in Academiis , ad eruditionem ac eloquentiam citò & jucundè parandam non sufficiunt ij qui tantū philosophiæ theorematā suppeditant , velut instru-

H E N R I C I R E N E R I

menta quædam; sed in primis optandum esset, ut alij quoque adsciscerentur qui rationem docerent hæc ipsa ritè applicandi vel optimis quibusque authoribus ad locos communes eruendos, ad disserendi virtutes omnes per analysim in apertum producendas, ad confusa quæque ac tumultuaria in ordinem redigenda; vel rebus ipsis in specie ad eorum naturam peculiarem cognoscendam per observationes, problemata, experimenta. Sed quia singula horum, ut exætè fiant, totum hominem, & quidem singularibus animi dotibus præditum requirunt, mihi verò generaliorum philosophic præceptorum, quemadmodum ab Aristotele ejusque sectatoribus proposita sunt, explicatio incumbit, vestrum erit, Auditores, defectum hunc supplere, & nobilissima illa exercitia vel promovere, vel suscipere. Et quoniam Reip. maximè interesset arbitror, ut Observationes colligantur rerum tūm naturalium, tūm arte factarum, quarū seriem sat longam modò proposui, constituite, Illustres ac potentes Ordines, Amplissimi ac prudentissimi Consules, novo & heroico instituto virum ad rem tantam idoneum, sagacem, sedulum, prudentem, cui una hæc cura, cæteris sepositis, incumbat. Illustres Hollandiæ Ordines multis quotannis florenorum millibus dicuntur olim invitasse clarissimum Petrum Pavium, Medicinæ, Anatomiæ, ac Botanices celeberrimum apud Lugdunenses dum viveret professorem

## O R A T I O .

fessorem , ut peregrinationem in Indias susciperet, rariorum potissimum plantarum indagandarum ac procurandarum causâ , quibus academicus hortus exornaretur. Cum de Aristotele supra agerem, intelligistis, ad animalium tantum observationes colligendas, ei ab Alexandro magno & aliquot hominum millia in ejus rei subsidium data, & præmij loco decies sexies centena florenorum millia. Et hodie etiamnum Reges ac principes propositis amplissimis præmiis eruditorum ac curiosorum ingenia excitant ad unicæ rei quam extare magnopere cupiunt, inventionem. Quantò majora & certiora bona expectari possent ex generali omnium aut plerarumque rerum observatione tūm ad artium splendorem , tum ad Reipublicæ totius opes amplificandas? Ac ne vos deterreat sumptuum magnitudo , aut rei adeò latè patentis amplitudo , rationem aperiam quâ possit res tanta quām felicissimè , quām minimis sumptibus , & paucissimis annis procurari. Est in viciniâ nostrâ celeberrimum totius orbis Emporium Amstelodamum. in eo (quanquam & in hac quoq; splendissimâ ac amplissimâ civitate) artifices omnis generis, & peritisimi quidem, reperiuntur. Quantam ab iis observationum copiam diligens & sagax indagator brevissimo tempore colligere poterit? Nec minorem vigilantissimi Mercatores, ob mutua terrâ ac mari commercia, suppeditabunt, quibus & quicquid ter-

## HENRICI RENERI.

ra profert, & quicquid artifices parant cognitum. Officinæ verò in quibus pharmaca tum simplicia tum composita prostant, licet angustæ, theatrum sunt veluti universi terrarum orbis, si multitudinem rerum è mineralium, vegetabilium, & animalium generibus petitarum consideres. nec pauca suppeditant aromatum aut colorum venditores. Ac ne quid deesse possit circa exotica, Societatum utriusque Indię præfecti consulendi. Cumulum verò omnis generis observationum litteræ ad absentes datæ, quibus vel interrogentur de jam observatis, vel de observandis erudiantur, complebunt. Eligatur modò ad eam rem peritissimus perconctandi artifex. Is nullis aliis curis implicitus in suâ quemque arte peritum ac expertum sàpè (modò tempestivè) adeat; benevolentiam captet; doctè ac circumspetè inquirat de omnibus. Quid in re adeò utili, adeò facili, adeò denique vobis gloriosâ futurâ hæretis, qui adeò magnifici estis ad vulgarium professionū, quæ vobis cum cæteris & academiis & schoulis illustribus sunt communes, erectionem? Videte ne regij hujus instituti, sumptibus immensis olim ab Alexandro magno incepti, gloriā in manibus vestris positam, & adeò facile parabilem alij vobis præripiant, evocatis ad eam rem viris idoneis. Quod si publicâ liberalitate ac magnificentia tantum opus destituatur, extabunt fortassis è ditioribus aliqui, qui generoso animi ardore ad res præclaras

O R A T I O.

claras contendentes, privatâ industriâ & sumptibus  
rem tantam aggredientur suo & publico bono. Sed  
quoniam amplis opibus raro conjunctum studium  
artium augendarum ac illustrandarum, ad vos viri  
eruditissimi ac eruditionis amantissimi qui huc ma-  
ximo numero confluxistis mea se convertit oratio.  
Cum per provinciæ mihi demandatae gravissima o-  
nera nihil otij superfuturum fit ad promovendum  
operâ & reipsa, quod votis ardentibus & consilio  
designavi, agedū quâ estis ingenij sublimitate ac sa-  
gacitate, vos præsertim quibus otij abundè est, jun-  
gite operas ad collectionem hujusmodi observa-  
tionum, & præmij veluti loco, quia author vobis  
fuero adeò utilis ac laudabilis instituti, in collegiū  
aut consortiū vestrū me admittite, & quæ perscrutando  
& interrogando ab expertis dediceritis li-  
benter communicate. Neque pudebit gloriam e-  
ruditionis, quam vestra liberali communicatione  
paravero totam vobis adscribere, qui non potius ad  
hanc splendidissimam urbem juventuti instituendę  
accessi, quām eruditioni à vobis parandę: prævide-  
bam enim ea in urbe me versaturum, in qua tot pe-  
ne essent Professores, quot Senatores, causarum Pa-  
tronii, aliquique Doctores ac Magistri. Vos verò le-  
ctissimi ac ornatissimi adolescentes, quorum causā  
& bono huc sum ab amplissimo magistratu evoca-  
tus, date sedulò operam ut diligent publicarum ac  
privatarum lectionum frequentatione adminicula  
vobis

H E N R I C I R E N E R I O R A T I O.

vobis ad superiores scientias necessaria paretis , ne  
iis tanquam luce prævia destituti aberretis , à metâ  
ad quam contenditis. Satis intellexistis quanto  
studio ferar ad utilitatem vestram cum publice  
tum privatim procurandam , si præsertim plus ef-  
set otij. date vicissim & navate sedulò operam, ut in  
incerto sit egone majori ardore ac fide vobis præ-  
verim , an vos fecuti sitis docentem ac monentem.  
Nullis laboribus parciam dummodo ex iis fructum  
ad vos redire experiar,& ex fructu vestro ad Eccle-  
siam ac Remp. decus ac splendorem.

D I X I.

IOANNIS WESTERBURGI


# A THENÆVM,

S I V E

In Illustris Gymnasij Ultrajectini  
Inaugurationem

## P O È M A T I O N.

*Accedunt & alia, quæ pagina sequens  
indicabit.*



U L T R A I E C T I ,

Ex Officinâ ABRAHAMI ab HERWIICK  
& HERMANNI RIBBII,  
c/o loc xxxiv.

Poëmati IOANNIS WESTERBURGI  
subjiciuntur hæc:

*Gerardi Niportij Provincialis Curiæ Vlrajectinæ Senatoris carmen, quod adolescens conscripsit, in Effigiem Vrbis patriæ.*

*Gisberti Elburgij I. C. quondam Reipubl. Vlrajectinæ Scabini, & in collegio Archithalassico, quod est Amstelodami, Senatoris, Encomium urbis Vlrajecti.*

*Rodolphi Nypoortij I. C. Poëma in natalem Illustris Scholæ Vlrajectinæ.*

*Abrahami Bocstadij Ode sacra publicæ dedicationi ejusdem Gymnafij.*

*Ad*

# Amplissimum Reipublicæ

V L T R A I E C T I N A E

*Senatum*

## P R Ä F A T I O.

**N**signes pietate Viri, quos ardua  
cœlo  
**V**isque per innumeros gloria tol-  
lit avos :  
**Q**uos firmo sociis unitos fœdere Belgis,  
Cantaber attonitis perfidus horret equis.  
Dum furit indomito passim Bellona tumultu,  
Inque suos cineres maxima regna ruunt :  
**V**os juvat armatos, armis inimica cruentis  
Pieridum placido castra fovere sinu ;  
Et dum finitimæ gentis pallatia fumant ,  
Atria tranquillæ condere mentis opus.  
Sic licet ambustis immugiat Ætna cavernis ,  
Et vomat epotas vasta Charybdis aquas :  
Nauta tamen Siculus præterlabente carinâ ,  
Impavido liquidum remige fulcat iter.

D d 2

Pal-

P R A E F A T I O.

Pallada, quæ bello placidas exterminat artes,  
Et rotat infestâ Gorgonis ora manu,  
Mœnibus arcetis: comitatam Pallada Musis  
Fronde sacrâ nitidas per volitante comas,  
Suscipitis. junctis igitur quod viribus unâ  
Barbariem contra bella geratis, erit.  
**V**ivite felices animis concordibus ambo,  
Et per agat gratas mutua dextra vices.

*JOANNES WESTERBURG.*

I O A N -

IOANNIS WESTERBURGI  
A T H E N Æ U M,  
S I U E  
In Illustris Gymnasij Ultra-  
jectini Inaugurationem  
P O E M A T I O N.



Cælo dilecta dies, magnoque senatu  
Designata Deum! quâ purior aspicio orbem  
Phœbus, & aurato diffundit lumina  
vultu:  
Scilicet umbroso Parnassi culmine montis  
Surgit ovans, veterum jamdudum obli-  
tus amorum,  
Quæs miserum, magno pridem Pythonem perempto,  
Torserat impatiens thalami Peneia Daphne.  
Uile Deo, quod Cirrha potens, quod Delphica tellus,  
Et Claros, & Tenedos, Pataraaque regia servit;  
Majores alibi titulos suspirat honorum:  
Et velut auspiciis regnum fælicibus orsus,  
Rex populi pater, invictis qui viribus arma,  
Institiam pietate regit; si forsan avito  
Gandeat imperio subjectas visere gentes;

IOANNIS WESTERBURGI

Insignes Heroum animæ comitantur euntem :  
Haud secus ætherio affulgens Latonius axe,  
Temperie rubet auratâ, lauroque capillos  
Vinctus, Achæmenium latè fumabat odorem.  
It comes armipotens olli Tritonia virgo,  
Quæ niveo resonas perstringens pectine chordas,  
Dira colubriferæ celabat Phorcidos ora.  
Hanc juxta Pietas, sanctorum Antistita morum,  
Perlustrans oculis adoperta volumina legis  
Divinæ, incessu sese graviore ferebat :  
Læva refrenanteis populum tractabat habenas  
Sancta Themis, densâ religatum lumen utrumque  
Sindone demittens, leni vestigia gressu,  
Palladis incumbens humeris de more legebat :  
Libera juridicam vibrabat dextera lancem.  
Omnis ibi æterni gravitas, & splendor Olympi;  
Una omnis, velut insignes ductura triumphos  
Nobilitas fuit. at præsentia numina vatim  
Aonides, & honore pares, & nomine, circum  
Ivère, & pulchram divis fecere coronam.  
At reliquis per inane supra caput altius ibat,  
Ardua præclaro gestorum Gloria merces :  
Cæsarie intonsâ virgo, cui candida circum  
Ludebat stola longa pedes, variæque micabant  
Distinctæ veluti gemmis rutilantibus alæ.  
Ille omnes medium aërii, plaudentibus astris,  
Orbis iter, niveâ devectæ nube tenebant.  
Urbs jacet affinis Batavum genialibus arvis,

Mena-

A T H E N A E V M.

Menapioque solo : priscis fundata colonis :  
Et famæ si danda fides, cùm Martia quondam  
Roma triumphatum latè subjecerat orbem :  
Sive illam Latio quisquam de sanguine Cæsar  
Nominis ob famam, quam corruit alta vetustas ;  
Sive illam Eois felix Antonius armis  
Condidit, & proprio nomen de nomine fecit.  
Quòd tamen hic apto quondam prope mœnia ductu ,  
Hospes in abruptas Rheni trajecerit undas ,  
Trajectum, voce Ausoniâ , dixere priores.  
Quicquid id est , signa ante oculos, nec vana, supersunt,  
Hic quoque belligeros olim sacrasse potentis  
Imperij, fastusque sui monumenta Quirites.  
Dicite, qui colitis nemoris secreta propinqui ,  
Umbrosus quâ Marna viret, quâ Uechta palustris  
Campestri vicina jugo supereminet arva ,  
Utraque succiduo quondam contermina Reno :  
Tum cùm præcipiti vel quondam allamberet urbem  
Flumine, vel medium cursu illabente secaret :  
(Quam nunc, sed tantum emeritis interluit undis)  
Exiguoque suo contentus Lecca fluento ,  
Nondum illum (quid non abolet longæva vetustas ? )  
Nominis & cursus veteri spoliasset honore .  
Dicite, Ruricolæ, dum junctis arva juvencis  
Finditis , illiso quoties sub vomere teli  
Dissiliant fragmenta solo, vel qualia paßim  
Saxa crepent, curvique viam remorentur aratri ?  
Promite Romulidum celebrata numismata seculo ,

Pulvere

JOANNIS WESTERBURGI

Pulvere Casareos luteo fædantia vultus.  
Hic sacer Antistes vittis sacrata revinctus  
Tempora, Panchæos aris adolebat honores:  
Idem armis opibusque potens, illustribus idem  
Ortus avis, latè populos ditione tenebat.  
Quin gravidam bello gentem, fætamque triumphis  
Innumeris, notosque comâ rutilante Batavos:  
Quique libunt Flevum Frisios: quasque alluit urbes  
Iſala deciduus Rheno; medioque natantes  
Æquore Toxandros, hoc olim à Presule jura  
Accepisse ferunt, dominumque vocasse clientes.  
Nec mihi Pyramidum moles Nilotica Memphis,  
Aut celsas Chaldaæ canat Babylonia turres:  
Hic operum vastæ moles, hic alta. Deorum  
Culmina, Phidiacæque manus, fastigia surgunt:  
Conspicuæ ante alias longum, geminæque minantur  
In cælum turres, & vertice sydera pulsant.  
Sunt etiam sua Trajecto viridantia circum  
Pascua, gramineique thori; sunt Thessala Tempe,  
Mollis ubi variis interviret herba colores,  
Et volupe est fessis, post tædia longa laborum,  
Purpureum trahere ore diem, ventosque salubres.  
Sunt & quæ validis alibi fudit arva lacertis  
Rusticus, aut findit dentato vomere buris:  
Nec fallit spes agricolam; pulcherrima mesis  
Surgit, & auratis passim nitet obvia culmis:  
Non Lycide lachrymis, nullis ploratibus Aegles,  
Excusat agri macies, vel ruris egestas.

Huc

A T H E N A E V M.

Huc visum Superis jucundâ ambage viarum  
Ferre gradum, tantæque urbis lustrare Penateis.

Sic quondam aetheriae mentes, mortalibus ægris  
Numina chara, Dei monitu delapsa per auras,  
Terrenas subiere domos, dignataque cœli  
Gloria privatis hominum succedere tectis.

Thesea sic Hecale, sic accepisse feruntur  
Amphitryoniaden magalia nuda Molorchi.

Tum quoque protollens gemebundi gurgitis undas,  
Pristina nequicquam indoluit divortia Rhenus :  
Et quamquam cupidus Divum præclara videndi,  
Majores convolvat aquas, objectaque contra  
Aggeris excelfi perrumpere limina certet ;  
Ille tamen Vesta obstantis majoribus actus  
Imperiis cedit tandem, Mervaque rapaci  
Indigne veteris populato nomina Nosa,  
Se miscens, vasto exundans petit aquora cursu.

Postquam fama recens, genus alto à sanguine Divum  
Advenisse tulit, totique innotuit urbi ;  
Extemplo ridere vias, & compita festis  
Frondibus ornari cernas. Segea aurea florum  
Purpuream scribebat humum : viridesque per herbas  
Ambrosius labyrinthus erat. Quid carmine dicam,  
Quæ latè circum extiterint conferta virorum  
Agmina, vel ruptis demum quam magna fenestris,  
Staret, & insanis vomeretur ab ædibus unda ?

Urbe patent mediâ validis subnixa columnis,  
Tecta domus sacra, magnum & venerabile sanum;

E e

Hoffi-

IOANNIS WESTERBURGI

Hospitium, quā parte leveis prospectat ad austros,  
Contiguum regale tenens, quod sydere cœli  
Propitio, subiere patres, ut dextra fidesque  
Iungeret aeterno sociatos fædere Belgas:  
Nullaque venturis traheret discordia seculis  
Imperij ruptâ procerum compage ruinam.  
O fælix, ô septeni concordia regni,  
Hoc primum sancta loco! laquearibus istis  
Subsedit tua, Belga, salus: magnusque Senator  
Intrepide patriâ pro libertate locutus.  
Ex illo, junctis animis, junctisque tiaris,  
Libera quod reliquos subjecit Belgica fasces,  
Aut propriis socias quod pax univerit urbes,  
Ultrajectinæ genti dedit Unio nomen.

Hac sacrae devota perunt penetralia paci  
Cælicolæ, immoto sonuerunt cardine postes,  
Nullaque ferratas disclusit machina valvas,  
Ceu dominos venerata suos (mirabile dictu)  
Nec mora, Primores populi, quæs cura regundi  
Municipes, eadem pariter sub testa vocatos,  
Sic prior alloquiur facundâ voce Minerva.

Æterni gens cura Dei, quam concitat ingens  
Spiritus, heroæque audent sublimia mentes;  
Tuque adeò sancti decus immortale Senatus;  
Omnipotens, Rex idem hominum, Divumque potestas,  
Magna peroratum tua nos ad limina misit.  
Est equidem, semperque fuit lachrimabile terris  
Martis opus: genero sacerum quod, conjugè nuptas,

Et

A T H E N A E V M.

Et patribus natos, & magnas civibus urbeis  
Exuit, & vacuos vastat cultoribus agros.  
Odit & ipse pater, rerum qui sara gubernat,  
Monstrum horrendum, ingens, furiis quod laxet habenas,  
In ferrum flamasque ruens. en solis utroque  
Cardine, quo populos paucis labentibus annis  
Perduxit miseros, regnandi insana libido,  
Quâ Cæsar, quâ turget Iber, dum libera Regum  
Sceptra petunt, magnique affectant orbis habenas.  
Scit Rhenus, gelidusque Nicer, scit maximus Albis,  
Quas urbeis radice tenus vertere profundos  
In cineres, turpemque soli fumantis acervum.

Hæc adeò postquam indocili discordia mundo  
Gliscit, & æternos portendunt regna tumultus;  
Clam subit informi paßim comitata veterno  
Barbaries, placidasque ferox exterminat arteis.  
Quid ferrugineos Brontes, quid Martis alumnos  
Sanguineos, Steropen, nudumque Pyracmona membris  
Pieridum delubra juvant? grave mænibus altis  
Excidium tormenta vomant; pluat oſibus æther:  
Ista oculos, animosque virûm spectacula mulcent:  
Sola Aganippæas abigunt Helicone sorores.  
Ipſa ego, quæ tantum justas in prælia causas  
Adjuvo, consiliisque beo sapientibus uſos,  
Non queror, insano paßim quòd Martis amore,  
Incubet infami gravis ignorantia vulgo:  
At magis ingenuas summis magnatibus artes  
Difflicuisse dolet: nam quæ modo maxima regum

JOANNIS WESTERBURGI

Gloria? Scire nihil. quæ laus? quòd vilior algæ,  
Exulet aulai medio sollertia rerum.

Heu quòd decidimus! laudem quam Musa meretur,  
Objicit in crimen sacerdoti furor. Omnia versat,  
Et chaos antiquum revocat furialis Enyo.

Cernitis Ismariā dominantes urbe tyrannos,  
Quà ferus obstrūctis immugit Bosphorus undis,  
Europamq; Asiamq; brevis disternat astus,  
Pulpita doctorum toto proscribere regno,  
Et mandare sacris æterna silentia Musis.

Nulla Cleanthæas acuunt subsellia voces:  
Socratici periere lares. ruit atria Stoæ  
Barbarus, & Pandioniaæ periustis Athene.

Quid Pelusiacam Memphis, Druidumque recessus,  
Emathiamque Pharon? quid olentes thura Sabæos,  
Arsacidas, Arabesque loquar? damnata tenebris,  
Clara recesserunt orientis lumina solis.

At demum Latios non dignata curules  
Musa sequi, Romam niveis invecta quadrigis,  
Celsa triumphali subiit Capitolia plausu.  
Fælix, ô nimium fælix, urbs alta Quirini,  
Tum, cùm participes divinæ mentis alumnos  
Ederet, & doctis titulos deferret honorum;  
Atque idem belli studiis, simul artibus idem  
Esset honos; nimium infelix, cùm cætera perdens,  
Ingenium, moresque bonos, artesque togatas  
Perdidit, & magno casu perterrita orbem.  
Exin, si jupat antiquos ab originemotus

Inſpi-

A T H E N A E V M.

Inspicere, & veterum pariter meminiſſe laborum,  
Peste Sophistarum profugas, vestigia mille  
Errabunda locis, divumque hominumque magistras  
Theſpiades posuiſſe leges, nulloque receptas  
Limine (ſed coram, quarum misereſcimus, adſunt:  
Commemorent, ni triste nimis, ſua fata priores)  
Donec Hyperborei ſoboles Mavortia Rheni,  
Exilio feffas longo, pacemque rogantes,  
Hofſitio accepit, tutaque in ſede locavit.  
Nec tanti Batavis abolevit gratia facti.  
Lugdunum (tibi namque iſtum Deus indidit uni,  
Afflavitque animum) quid te ſuper athera dignam  
Tantalaude vehit, famamque in ſecula volvit?  
Hanc pietas, hanc ſola fides meruere coronam:  
Cum nec dira fames, nec pestis, & altera pestis  
Cantaber, hostili circumdans agmine muros,  
Infregit conſtantem animum, ſuafitque tyrañi  
Servitium. ô, magnatextatum voce per orbem,

AUREA LIBERTAS VINCIRI IGNARA

L U P A T I S.

Nam licet exilium ante oculos, ferrique tremendum  
Fulmen, & ambustis fumarent civibus urbes;  
Non tamen extimuit: donec inglorius Alba  
Hesperiam, aut patrias Coriae remeavit ad arces.  
Succeſſit ſceleri pietas, Tritonia Marti,  
Et nova Baldae ridens Academia fastus.

At dum bella ſonant, & nil miserantis Iberi  
Indomitus ſine more furens ruit omnia fervor:

IOANNIS WESTERBURGI

Non vos ulla, viri Proceres, vel sera nepotum  
Degeneres majorum animas damnaverit etas.  
Vos maris insani medio nutante carinâ,  
Horruit impavidos Maurus : vos sanguis in hostes  
Impatiens servire tulit : nec vana rebelles  
Gloria, nec rerum levitas ignara fefellit.  
Quin adeò, postquam decimarum posceret Alba,  
Exhaustura inopes nova vesticalia Belgas :  
Quæ tantum prohibere nefas, odiumque scelesti  
Despiciens crudele viri, gens tendere contrâ  
Ausa fuit ? primisque gravi dedit ore loquelas,  
Quelis fremitus, furiasque novi comprescit Amuli ?  
Vestra fuit lans ista, viri : docuistis inermes  
Armatos, quanti juratas frangere leges  
Conserter, & innocuos fisco damnare clientes.  
Vos gnari superare dolos, & etiatis avaro  
Ne soli Batavus pontum sulcaret Ibero ;  
Aut procul Hispanas fugerent commercia Gades.  
O motus animorum altos ! sibi Belgica tellus  
Ultores effixa neget, cupiatque domari ;  
Sola renascentes Ultrajectina propago  
Harmodios Brutosque dabit : nec definet unquam,  
Ni prius excutiat totâ cervice tyrannos.  
Vos Læstrygonis fætam latronilus arcem,  
Arcem ementito pacis cognomine dictam,  
AEternum terrorem urbi, molemque paratam  
Civibus exitio, fundo vertistis ab imo.  
Post, ubi non longi completo temporis orbe,

Arte

A T H E N A E V M.

Arte Venafiani ducis, illaudabilis Hanno,  
Et Morino, & Grudis miscentes nomina Galli,  
Artesique leves, revocati viribus hostis,  
Perjuri in socios moverunt arma fideles:  
Vestra, viri, pietas immanibus obstitit ausis,  
Consiliumque dedit, laceri dispendia Regni  
Fæderibus reparanda novis; junctisque fugandos  
Viribus errores, ejurandosque Philippos.  
Nec mora, finitimis septem regionibus adsunt  
Selecti proceres, Belgarum gloria gentis.  
Quæ loca? Quam reliquis urbem magis omnibus unam?  
Quos pariter subiere lares? hæc limina curis  
Elegere suis: & quæ tum conscientia tantos  
Audivere Deos, eadem nunc fornice summo,  
Æmula Palladiam reddunt fastigia vocem.  
Fanum augustum, ingens! ô, non sine numine Divum!  
Libertas ubi tuta fuit, patriæque sedentis  
Consiliis superatus Iber, qui Marte solebat.  
Inclyta Trajectum, tuque ô sanctissima tellus;  
O, quo te memorem, meritis pro talibus olim  
Munere donandam? sed senior hora morando  
Sæpe vehit, quod prima negat, cum tempore fixo,  
Fata bonis gemino prelio dilata rependunt.  
Quo tamen exspectes ultrà te munere dignam?  
Dis rerum te gaza beat, mollem aëris auram  
Quid loquar, oblitansque jubar, cœlique medullam?  
Alitnumque genus concentibus æthera mulcens?  
Hostibus immunes agros, terramque potentem,

Ubere

JOANNIS WESTERBURGI

Ubere fæcundo gleba? ni desit acervo  
Restamen una tuo, Batavis felicior una,  
Una fores cunctis præ formosissima terris.

Nempe hominum, divumque sator, sacraria Musis  
Hos inter populos, & tam felicibus oris  
Nulla videt, nullique dolet patuisse priorum.  
Tantum Sisyphio damnant quos fata labori  
Orbillios, humili lassarunt pegmata socco,  
Omnis & investem formavit cura iuuentam.  
Majus opus, studiumque Deus sublimius urget:  
Credo equidem, tua quod, Pietas, mandata capessat,  
(Annuit illa tacens) fideique oracula pandat,  
Sydereamque viam, & tritos cœlestibus orbes:  
Quod regere imperio populos, & condere leges,  
Et Themidi justum doceat parere tribunal:  
Quod veterum docte pandat monumenta Sophorum,  
Ancipites rerum causas, magnaque latenteis  
Naturæ ambages, lentoque incognita vulgo  
Sydera, Cœlicolumque lares, axemque serenum.  
Quod doceat motus animi ratione regundos;  
Eloquiumque potens, & cultæ munera lingue.  
Tum quoque, si nostrum est aliquod Sapientia munus:  
Si chorus Aonidum, si carminis author Apollo  
In pretio est, & forte juvat sollertia vacum  
Otia, vel numeris exemptos volvere fastos;  
Exponam, quibus Emathius, quibus arribus heros  
Sidonius, Latiique Duces, urbesque Pelasgæ,  
Annixi fuerint, seu pax, seu bella gerenda,

Ire

A T H E N A E V M.

Ire per æternos ævi venientis honores.

Hactenus ut studiis animum excoletis honestis,  
Finibus egressos patriis, nova regna petisse  
Sufficiat. non vos venturo tempore Gallus,  
O Enotriique lares, aut alta mænia Roma  
Sollicitent, nec fæta gravi Germania bello ;  
Mæniave Allobrogum gelido vicina Lemanno:  
Non quos Danubius, vel primo flumine Rhenus  
Alluit, aut quorum longos rigat Istrula campos :  
Aut mare quos toto discriminat orbe Britannos :  
Quique Caledonij contingunt littora Ponti,  
Ultima quæ refluxo propendet gurgite Thule.  
Hæc regio, hæc patria, hæc sacri penetralia templi,  
Hæc eadem Inachiis quæ surgunt tecta columnis,  
Erudiant civesque tuos, pubemque tuorum.  
Quin etiam, velut ad ditis commercia gazæ,  
Huc quoque certatim turbas aliunde migrantum  
Confluere, indigena, & pariter mirabitur hospes.  
Et velut illecebris cantus, fidibusque canoris,  
Threiciaque lyrâ, sylvas Oæagrius Orpheus ;  
Saxaque Diræus movit testudine vates ;  
Aut Methymnæus traxit delphinas Arion ;  
Sic urbs ampla situ, semperque innoxius aer,  
Secessus placidi, & viridantis gramina campi,  
Allicient floremque virum, juvenumque coronas,  
Pieridum studio, vestris succedere tellis.  
Hæc magni, dudum, proceres, Academia vestris  
Debita erat titulis, sic fata immota ferebant :

Ff

Non

IOANNIS WESTERBURGI

Non quæ ficta jubent veterum ludibria vatum  
Parcarum teretes per flamina volvere fusos :  
Sed quæ magna Dei mens haud ignara futuri,  
Fixit ab æterno, tardis orientia sœclis.

Vos modo maturate, viri, atque accingite dextras,  
Ut laeti per agatis opus, quo sanctius ullum  
Non fecistis adhuc ; pariterque in sancta vocantes  
Vota Deum, magni imperii verbisque Senatus,  
Sollicitate viros, nascentis origine pulchram  
Ornamenta scholæ, & primæ fundamina molis.  
Hoc agite, & cœptis Deus aspirabit ab alto,  
Quæ monet, & fieri iussis ingentibus urget.  
Nec minus interea locus hic, qui libera quondam  
Audit attonitus patriæ suffragia patrum,  
Perpetuum vobis, magnum & memorabile nomen  
Proferet, æternæque aram virtutis habebit.

Sic dixit; geniisque loci, velut ultima Divæ  
Verba probans, resonante aurâ, respondit, habebit.  
Protinus assensere omnes, mentemq; fatentur  
Æterni patris è vero retulisse Minervam.  
Ac velut Idæo præceps cum monte revulsum  
Saxum ingens in prona ruit, moleq; propinquas  
Impulso abrumpit v alido, volvitque deorsum;  
Dat sonum, latèque fragor germinatur in auras:  
Sic signo pater ætheria cœlestis ab arce  
Horrisono monuit, non hæc mortalibus esse  
Inventa ingenii, sed magno digna Tonant.  
Agnovere Deum superi: simul ordine pulchro

Eduxit

*Eduxit fano socium Latonius agmen.*

*Nec mora, ceruleam nimbo fulgente per aethram  
Discedunt, longamque cito dant tramite lucem :  
Qualis stella polo saliens sub nocte serenâ  
Aufugit, aut populo ignaro aufugisse putatur.*

*At Proceres, quamquam stupefacti pondere rerum;  
Latantur tamen, atque animos per singula versant.  
Ilicet acceptum juvat ire in munus, & omnes  
Præcipitare moras, tantoque instare favori.  
Idem omnes labor exercet, studiumq; fatigat  
Indagare viros, quos multâ reddidit arte  
Insignes animi vigor, & cœlestis origo.  
Nec dexter cæptis Deus abfuit : impia quamquam  
Ore minax rabido vomeret convitia livor,  
Diversisq; Deos contra conatus iret.*

*Ibat ovans animis Pietas, vultuque professa  
Latitiam ingentem, sacram cum linqueret adem ;  
Gnara suis olim primus quod Voetius aris  
His tectis pius antistes, doctorque veniret :  
Quique aciem mentis rerum molimine fessam  
Grandis Idumæo reparet sermone magister :  
Multi quem toties populi; quem plurima circum  
Oppida; symmystæque graves (tantum instar in illo est!)  
Et petiere sibi, & voluere adjungere civem.  
Docte geni superos (neque enim est obscura, premitque  
Fama fidem) non te ventosi gloria vulgi  
Abstulit, in præcepſq; dedit : non spiritus impar  
Viribus, aut tamida oblimans præcordia fastus.*

JOANNIS WESTERBURGI

Quis furor, ô miseri, quæ tanta licentia linguae?  
Ergo illum in primis querendi nominis ardor  
Transversum rapit indomitus, qui somnia ridens,  
Vanaque gerrorum deliramenta perosus,  
Nil triviale sapit? Sed gratâ voce fatetur  
Ingenium quodcumque suo pro nomine munus,  
Sola Dei bonitas, pulsato indulxit olymbo.  
O steriles fidei! ô veræ pietatis inanes!  
Excidit, ut nuper fastumque animosque feroceſ  
Mollit una dies, unoque redarguit ictu  
Voetius? ut quondam OEnida ferus impete primo  
Evastator aper venabula sanguine tinxit.  
Et velut horrendum pelago simul incubat Eurus:  
Ardens insurgit, decimoque volumine pontus  
Impatiens ruit, & diro ſe murmure vastos  
In scopulos agit: at mediis eius in undis  
Frangitur exanimis demum, saxoque latranti  
Languidus immoritur, vanaque obmurmurat ira:  
Sic quoque gens, sensus nimium studioſa finistri,  
Voetiaden ſacri quatientem lampada verbi  
Nequicquam invictâ heroem virtute laceſſit.

Sed Themidi quod ſidus erat, quo Diva Lyceo  
Nascenti illuxit? Lampas procul aurea pontum  
Geldriacum, tumido aternum cui nomen ab austro,  
Lustrabat flammante comâ, tædâque praibat  
Iufitiae monſtrando viam, momentaque legum.  
Hanc Dea Menapiis ſummiſum ſustulit oris,  
Et Trajectinæ clarum jubar intulit urbi.

A T H E N A E V M.

Te canimus, Matthæe, virum, quo vindice canis  
Legibus, & sancto constet reverentia luri,  
Ambiguaſq; pio iudex examine lites  
Terminet, & quatosque reos Astræa moretur,  
Dum tonat alterno verboſum murmure teclum,  
Et gravis innocuas peragit facundia causas.

At nunc quale tuum, Pallas, memorabile munus,  
Quod laudent operis tenera incunabula magni?  
Æmilium (nec enim toto te dignius ullum  
Orbe fuit) lumenq; ſchola, nomenq; dedisti.  
I decus, I noſtrum, prætantibus utere donis  
Ingenij; agnoscatque ſuum hæc quoque maxima tellus  
Heinsiaden: quamquam haud alium ſuperereſſe Batavus  
Sufinet, & ſolus tanto ſe nomine jactet.  
Ardeat, & largos alti bibat aetheris ignes  
Divinum spirans; ſeu ſplendida cogat in aptos  
Verba modos, numerisque premat ſublimibus orcum  
Contemptor mortis: ſeu priſcos lege ſolatis  
Heinsius Ausonidum annales sermonibus edat:  
Aut gravis hiftoriâ commendet & arma virumque  
Auriacum; & gelido tellus ſubiecta trioni  
Quem Regem, dominumq; albescens extulit Arctos.  
Æmilium par cura manet, par gloria, grandi  
Seu tonat eloquio, doctâ quod pendulus aure  
Excipit auditor, linguisque ſilentibus adſtat,  
Miratus geniumque viri, vocemque diſerti:  
Seu face prælustri, & monitis ſapientibus ornet  
Augufti ſcriptoris opus, præceptaque condat

IOANNIS WESTERBURGI

Regibus, & magni leges rectoribus orbis.  
Nam regere imperio populos, & dicere jura,  
Hoc opus, hic labor est : ne, dum furit impete cæco,  
Nec morem gerit ipse sibi, & elut actus acerbam  
In rabiem canis, & regno spoliatus, & exul,  
Erret inops animi Princeps, ac fabula vulgo.  
Qui sapit, Æmilio discet doctore, tueri  
Imperii nervos, majestatemq; verendam :  
Quam rerum molem ingentem sic viribus æquat,  
Herculeis ut non melius cervicibus olim  
Sederit immensi convexum tegmen olympi.

Tum quisquam egregiis ne quid desideret orsis,  
Alter adest, veteres nobis qui reddat Athenas,  
Quæq; stagirites Graiis oracula fudit.  
Aut qui sublatum Phæbo mortalibus ignem  
Adferat, Iapeti soboles non degener ortu.  
Renerium talem Uelavis dedit Isula campis,  
Isula anhelanti Rheno gratissimus amnis :  
Qui mentem humanam rectâ quâ differat arte,  
Invictisque rudes doceat rationibus uti.  
Deinde senescantis naturæ arcana recludat :  
Unde maris reflui cursus, unde æquora falsa :  
Quid tenuem exhalat nebulam, fumosque volucres,  
Nocturnum rorem, & ventosi murmuris auras :  
Unde procelloso vibratus ab aethere fulgor  
Cum sonitu, quo cælum ingens, quo terra tremiscat :  
Quid Solis, Lunaq; labor, diri q; Cometæ ;  
Dumque pluunt Hyades, per nubila discolor arcus :  
Unde

A T H E N A E V M.

*Unde per obliquum contrà eluctantia tendant,  
Et septem imparibus discurrent sidera signis.*

*Denique Mattiaco præstantem littore Nereus  
Ceruleus, dique undarum misere Liræum :  
Qui priscos veterum ritus, corruptaque narrat  
Sæcula, mordaci & atum damnata camænâ :  
Pantolabos scurras, Nomentanosq; nepotes :  
Quæque Palatini meretrix Augusta mariti  
Fæda lupanaris ferat ad pulvinar odorem :  
Quod pecus Arcadiæ rati per compita & voces  
Rudat, Quod Iapio, satis est mihi : non ego curo  
Esse quod Arcesilas, ærumnosique Solones,  
Obstipo capite, & figentes lumine terram.*

*Ite animæ illustres, & magni lumina mundi,  
Ite pares, tenebrisque altis abscondite fædam  
Barbariem : pubesque scholis devota & veternam  
Exuat, & torso tandem splendere nitore  
Incipiat, nec spe patriam frustretur inani.*

*At tu Musarum dulcissima cura Niporti,  
Et totum Aonio prolatum nectare pectus ;  
Consiliis, usque togæ, rebusque gerundis  
Exuperans, non te indidum, Vir magne, filebo.  
Felicem patriam tantis natalibus urbem,  
Quæis Phœbus, quæis diva Themis, Pallasque superbis,  
Surrexitque novum magno fauatore Lyceum.  
Audiit ornato te circum fusa corona  
Heroïm, Procertumque decus, sermone loquentem,  
Et pia Palladii laudantem exordia fani.*

*Exempla*

JOANNIS WESTERBURGI ATHENAEVM.  
Exemplo studiosus eras, laquearque superbum  
Suave repercusâ reddebat imagine murmur,  
Ipsaque gratantûm saliebant marmora plausu.  
Perge, nec effætam doleat se patria magnis  
Ire viris, tantumque olim genuisse celebres  
Longolios, Cuchios, Canteros, Heurniadasque.  
Felices operum, fortunatique laborum,  
Et decoris, qui non ignavo pondere presi  
Desidiæ vicere luem, culpasque moranteis;  
Quorum animas major pridem indulgentia Divum  
Municipes cœli nitidis super intulit astris.

Quod superest, votis æternum Numen adoro  
Supplicibus, diri quondam ne fata furorque  
Temporis eripiant vestrâ de gente coronam,  
Quam manibus Deus, ille Deus, quem maxima mundi  
Rectorem imperia agnoscunt, in vertice vestro  
Fixit, & æternæ fundavit fædere legis.

GERAR.

GERARDI NIPORTII

Provincialis Curiæ Ultrajectinæ Senatoris

P O E M A T I O N,

*Quod adolescens conscripsit*

In Imaginem Ultrajecti.



RBS ista, sculptam quam videtis, hospites,  
Hac in tabellâ, dexterâ scitissimâ;  
Est illa, cuius conditorem si roges,  
Nescire fatear; nec minus de nomine  
Certatur, olim quam ferunt de moenibus  
Veltris, Athenæ, Palladem & maris Deum.  
Antoniam ergo, Vultaburgum, aut Vlpij  
Stativa castra, aut Vtricesium, licet;  
Sed rectius fortasse Trajectum voces.  
Hanc tu bicornis Rhene, princeps fluminum,  
Oræque limes Gallicæ ac Germanicæ,  
Ab Alpium jugis, Tribocos, Nemetes,  
Ac Vbiorum perfluens fines, procul  
Intras, susurro leniore, quam quidem  
Quondam solebas, cum celebri gurgite  
Albiniana versus, & priscis loca

Gg

Habitata

GERARDI NIORTII

Habitata Cattis, ostio erumpens, tuas  
Salso juvabat jungere Nymphas Nero :  
Donec tridenti regna concusset pater,  
Ciens procellas, atque fundis spumeum  
Movens ab imis æquor, ac altas salo  
Ructans arenas cursui occlusit viam.

Sedes vetustas, alveum Rheni prope,  
Tenuisse Vultos fama, cum Britannia  
Saxo relietâ Willebrordus, gentium  
Valere jussis nubilis erroribus,  
Huc veritatis intulit primus facem,  
Christique nomen è latebris eruit.  
Hunc septicollis Præfus urbis Sergius,  
Renunciavit Frisiorum Antistitem;  
Episcopatuique Trajectum dedit  
Sedem Pipinus Franciæ regum decus:  
Quam post fugatis Frisiis incredulis,  
Pulsoque rege, liberâ afferuit manu.  
Repente tunc, volente fato, seu duce  
Virtute, magna jaeta sunt fundamina:  
Crevere vires urbis, atque dignitas  
Episcopalis diditur mundi plagas  
Latè per omnes, altaque ad fastigia  
Proiecta summum tollit astris verticem,  
Longè remotis jura tradens gentibus.

Sed, ut perenne Sol nihil flammis obit,  
Varioque casu res fluunt mortalium,  
Et maximis mors invida instat urbibus,

Suisque

P O E M A T I O N.

Suusque regnis est velut fati dies ;  
Sic, heu, superba confluentibus bonis  
Vrbs nostra, princeps, domina, dives, ac potens,  
Attrita bellis exteris, diu vices  
Expertæ fortis asperæ, tandem ruit  
Exscissa ferro funditus, & hostilibus  
Cremata flammis, Noricæ cùm gens plagæ,  
Vrbemque & agros, limitesque invaderet :  
Quoad Baldericus, Cliviâ Præful trahens  
A stirpe nomen, dissipatis hostibus,  
Lares reduxit exules, & pristinâ  
Vindex beavit civitatem gloriâ.  
Lapsis deinde quinque seclis, Austrius  
Rerum potitus Imperator Carolus,  
Hanc arce munit : ast eam cives solo  
Æquant, Iberum ferre dum renuunt jugum,  
Et servitutem perpeti; nihil prius  
Ratique majus esse, quam sese suos.

Nunc hæc figura est : quâ decora porrigit  
A solis ortu nomen usque ad Hesperum ,  
Et inter urbes adjacentes emicat,  
Inter minora ceu Diana fidera.  
Salve ô corona, flos, ocellæ Belgij  
Præclare nostri, cuius in sinu mihi  
Prodire in oras luminis primi datum.  
Salve creatrix, digna quæ feram tibi,  
Pro farre, thure, proque libo adoreo ,  
Pro claritate queis tuas dotes canam ?

GERARDI NIORTII

Laudent Mycenas, aut Corinthum, vel sacras  
Thebas Lyæo, patriamque Apollinis,  
Rhodonque claram, qui volent: mihi omnibus  
Tu sola major, lata seu per mœnia,  
Structosque saxo coctili muros vagor,  
Visuqne ducor, seu profundas undique  
Perlustro fossas, atque agros conterminos,  
Et læta rura, flava quæ Ceres colit,  
Hinc largiore dona promens copiâ,  
Quando decorum pinguibus spicis caput  
Autumnus arvis extulit. Non uspiam  
Pomona frugibus cluit beatior;  
Nihilque ab omni parte vel jucundius,  
Magisque gratum conspicit Phœbi jubar.  
Non Trinacris jam certet ora, aut Africæ  
Fœcunda tellus, culta cedant Gargara,  
Suisque mendax cedat hortis Græcia.  
Tum quid plateas urbis, ampla quid fora,  
Et templa narrem? quidve turres verticem  
Polo inferentes? quid domos sublimibus  
Tectis superbas? principum quas verius,  
Aut alta regum dixeris palatia.  
Tum tu, Minerva, contulisti quæ bona,  
Seu docta mavis, seu vocari bellica?  
Hæc terra quot non edidit bello viros  
Nulli secundos? quid valente dexterâ,  
Duroque possent Marte, pulsi mœnibus  
Testes Iberi, & sæpius feliciter

Pugnata

P O E M A T I O N.

Pugnata bella : scilicet pro patriâ  
Pulchrum putârunt sanguinem profundere.  
Hîc artiumque quidquid est solertium :  
Hîc est Apelles, Zeuxis hîc, & Phidias,  
Euphranor hîc, & cum Myrone Dædalus.  
Nec liberales hîc minori gloriâ  
Coluntur artes : hîc novem fororibus  
Dicata sedes, litterarum flumine  
Hîc irrigatur flos juventæ , civium  
Novella proles, ut gravis scientiâ  
Quandoque possit patriæ communibus  
Bonis studere. Hæc Hadrianum Episcopum  
Vrbis Quirini,hæc Heurnios,& Valerios ,  
Hortensios, doctosque Canteros dedit ,  
Aliosque quorum fama post rogum vigens ,  
Nunc universum complet orbis ambitum.  
Hanc Optimates, patriæ nostræ Patres ,  
Sanctus Senatus, & forensis Curia  
Vrbem celebrant. Hîc sacrata Cnossius  
Dat jura Minos, & severus Æacus  
Hîc versat urnam, queis frequentes disfcent  
Lites clientûm, justa dum Themis Dea  
Appendit æquis res reosque lancibus.

Sed nostra cursum siste Musa, ne gravi  
Canenda plectro deteras præconia.

O qui supremâ lege mundum temperas,  
Et arbitratu regna dirigis tuo ,  
Domosque & urbes ; magne te Deus pio

GERARDI NIORTII POEMATION

Compello voto, tu benignus aspice  
Vrbem vigentem, tu fove concordiam,  
Et sospitator esse cum velis, ferum  
Retunde Martem his imminentem mœnibus,  
Almæque gratis nos bea pacis bonis.

*Amore Patriæ pos. Anno 1621.*

GISBER-

GISBERTI ELBURGII I. C.

Quondam Reip. Ultrajectinæ Scabini & in  
Collegio Thalassiarachico, quod est Am-  
stelodami, Senatoris

## Encomium Urbis Ultrajecti.

**B**urima Trajectum commendant munera cœli,  
Et decorant claris mœnia clara viris.  
Hanc Themidis leges, hanc curia bina celebrat;  
Hic patet Aonio bibliotheca choro.  
Hic quoque donatum Phryxæi velleris aurum;  
Hic procerum prisco more Moneta viget.  
Hic terræ genio certat blandissimus aër,  
Et Cereris cultam copia vestit humum.  
Quæ dum cuncta videt, meritò mirabitur hospes;  
Maxima quòd pulchro sint bona clausa loco;  
Et decies senas circùm dum cogitat urbes,  
Quam velit, hanc uno possit adire die.  
Huc properat, quisquis Fortunæ ditior usu,  
Et requiem curis poscit habere suis.  
Multaq; Nobilitas generoso illustrior ortu,  
Et Procerum triplex hos colit Ordo lares.

Auspicio

G. ELVVRGII ENCOMIVM UR. ULTR.

Auspicio quorum decimis frustravimus Albam,  
Quum ferus in nostros stringeret arma Deos.  
Adde hic perpetuo sociatos fædere Belgas,  
Fædere, quo pejus quid timuisset Iber?  
Quum gens finitimi tantum contermina Gallis  
Deficeret; Parmæ vix famulata Duci.  
Perdidit immensas ex illo tempore vires  
Vesper, & Eoas India misit opes.  
At quæ Belga tamen bello vel pace recepit,  
Hæc Trajectino fædere parta putas.

AD EAN-

# AD E A N D E M V R B E M

Ε Γ Κ Ω Μ Ι Α Σ Τ Ι Κ Ο Ν.

**E**Ν δοιῇ πέλεται θυμός με, πᾶς ἀερθμήσω,  
Διαπόλις, τών σε πᾶταν εὐκλεῖν,  
Τί πεῖστον, τί δέπιστα, τί δύσατον εξερέψεν δεῖ?  
Παντίνης μάλα γὰρ πίμπασην ἀγλαῖν.  
Πολλὰ θεῶν αἴγαμον καλ' ἀνάπτοσε, καὶ μῆτρα παντὸς  
Ἄγεθον εὐκτιμένη δώματ' εὔκλιμβα,  
Τόντο πολυκτέανος καὶ ἀγύνοσχίσθη πολιότλω,  
Τιλμεράλιων δρεπήν, ἢ μέραν ὅλον ἐσθ.  
Καὶ πί θεμισοπόλις ἐρέω, ἀνδρεῖς τε μέδοντας,  
Οἱ πνεις ἐνομένη λαονομεῦσιν δέ;  
Ως δ' ἄλλουσι μὴ ἀσεσίν εἴξησ, τοῖς σε δίζη  
Τέιχεσιν εὐκτιμένοις Παλλαδδ' ὅλων κατέχεν.  
Ανέρες ιφθίμιες γδ' ἔχεις, μέγα κάρτος Ἀγεθον,  
Καὶ τῷ Μουσάων νῦν κλέθον ἔχεις.  
Η' δ' αὖρ' αὐγίωσεν μετά Φραδμοσύνης μέγα δενῶ  
Ἐν πολέμῳ γλυκερῆς πατρίδος ἔργυμα πέλει.  
Τεῦγεναὶ σε κεφατέρου καλέσω περίφραγμα Βατανῶν,  
Καὶ τῷ Μαυρογενεῖ τάξεθος Ἰβηρι μέγα.  
Χαῖρε πόλις, χαῖρε αὐτοί, τεὸν κλέθος ἀφθιτον αἰτεῖ,  
Ευκλεῖν τέστημα τέμνα πολυχρόνιον.

A. Emil.

E I V S D E M  
Ad Illustre Gymnasium.

**X** Αἶρε περικλεέων Μασών ἐδ<sup>Θ</sup> αἰὲν ἐγσῶν,  
Χαῖρ' ὡς ἀνακτόρουν Παλλαῖδ' ὅλιν κατέχον.  
Εὐλησάντες καὶ οὐκέτι εἴχετε, καῦδος τε Λατίνων,  
Πᾶν κλέ<sup>Θ</sup>ον ἔκτηση, πᾶν κλέ<sup>Θ</sup>ον αὖθι δίδωσι.  
Οὐ φρονέων, μέγα θαῦμα, τεὸν μυστεῖον εἰσελθὼν,  
Ἄψιντος οὐδὲν ὄπικαδ' εὑφρονέων.  
Τετρεκα, νηπισκε, σέβε τόδ' αὐτόπορον οὗτον,  
Εὐθα κιγκούμη<sup>Θ</sup>ον πελυμαθημοσύνια.

---

RODOL-

RODOLPHI NYPOORTI I. C.

*Carmen*

In natalem Illustris Scholæ

V L T R A I E C T I N A E.

 Ö barbarie Batava tellus  
Vic̄tā, Romuleos lares recepit :  
Iō diva suas fores Minerva  
Iussit perpetuō patere pubi,  
Et simul dedit intimos recessus  
Illi, quæ Batavo suēta succo ,  
Sacræ militiæ est professa nomen :  
Et cœlo superūm Themis relicto ,  
Hic, ubi celebri loco, vetusta  
A N T O N I N A suis superbit annis ,  
Germanæ Sophiæ locum locavit.  
Magni fit reliquas amœnitate  
Vrbes vincere : majus est easdem  
Annis, nomine, gloriâ præire :  
Sed Musas, Themidemque, Pallademque ,  
Et quidquid veteres Remi nepotes ,  
Solerti studio notâsse notum est ,  
Et quidquid memori sacravit olim

Hh 2

Graio-

RODOLPHI NYPOORTI CARMEN.

Graiorum veterum Minerva chartæ ,  
Sacro perpetuò sinu foyere,  
Res est maxima, quæ perennitatis  
Omni tempore gloriæ vacabit.  
Hic tu, quæ Themidos juventa cultrix,  
Hic quæ Palladis, Artiumque sacro  
Flagras numine , sumito recessum.  
Hic morum feritas, & ille fastus,  
Ac inscitia, mentium tenebræ ,  
Atque barbaries docendo cedent :  
Et toto licet evageris orbe ,  
Non augustior, aut magis venustus ,  
Nec Musis magis aptus est recessus.  
Hic olim Patriæ Patres , Marano  
Duro servitio, jugoque pressi ,  
A L B A N I Ducis impio furore ,  
Iunxerunt animos amiciores,  
Avito sibi jure vindicato ,  
Quo tandem feritas Marana cessit.  
Nunc urbis Proceres , facer Senatus ,  
Musis hospitium suis dederunt ,  
Vt tandem tenebræ , & caligo mentis ,  
Et morum feritas, ut hæc Marana ,  
Nunc V T R I C E S I V M meum relinquant.

A B R A-

ABRAHAMI BOGSTADI  
O D E  
*Ad Magnificos, Amplissimos, Prudentissimos*  
C O N S V L E S & S E N A T O R E S  
U R B I S U L T R A I E C T I N Æ,  
Sacra Publicæ Dedicationi  
ILLVSTRIS SCHOLÆ.



*Uæ cura, Patres, quis fuit impetus?  
Uestræ quis ardor mentibus inditus?  
Dum surgit, incepsumque vincit,  
Auspiciis bene destinata  
Uestræ sacratæ quæ sapientiæ est  
Sedes, & omni dicta scientiæ;  
Quæ merce dulci prorsum onusta  
Cuncta sua heic posuisse gaude. t  
Hæc cura vestra, hic vividus impetus,  
Hic vester ardor cœlitus exstitit.  
Divina queis mista est potestas,  
Hos facit eximiis Deorum  
Nomen tueri muneribus; prece  
Non ambiendos sollicita, sua  
Sed sponte promptos, ac tenaces  
Propositi. Studii illa vestri  
Nunc tacta meta est, palmaque nobilis  
Uestros honores tereminis polo  
Fert laudibus. Iam dedicandus*

A E R A H A M I B O C S T A D I

Dicit Apollo novem Sorores,  
Pindumque linquit, Castalias aquas,  
Vestroque Rheno tingere se parat,  
Vesterque gestit dicier, non  
Delphicus aut Patareus Apollo.  
Vestrīs coronas temporibus, piæ  
In vos Camœna, sertaque florea,  
Nectunt, suis vos arbitrantes  
Grande decus columenque rebus.  
Illuxit, en! Sol, dignus Apolline,  
Dignusque vobis. Iam penetralia  
Phœbus sacratus, duplicemque  
Pierisin patefecit aulam.  
O pulchra salve perpetuo dies!  
Signanda Cressa pulchra dies nota!  
Perennet aeternante charta  
Nominis hic titulus dicati  
Fastis in Urbis! Tuque beatior  
Salve, Cleanthis porticus! O domus!  
Te Sophronisci natus ipse  
Ardeat, atque gravi Lyceo  
Civis Stagiræ, seu Academia  
Aristocles præponere non neget;  
Iunoniae vel qui Samo se  
Debuit, Italicisque sedem,  
Crotoniatis, ac Metapontiis:  
Quem nocte furva plurimus audiit,  
Dinque. Noctis non tenebrae

Abſtū

O D E.

Abstulerunt cupidis amorem,  
Formare mentes asperioribus  
Modis ; nec illud (longa ait id fides)  
Discentibus tum quod tacendi  
Lex rata quinque foret per annos.  
Heic noctis urgent nulla pericula ,  
Premunt docendum nulla silentia.  
Heic luce clara Phœbus ad se  
Admonet, & rogat venire  
Cunctos volentes. Enjuvenum recens  
Examen ultro , fontibus & choris  
Sacris amicum, copiasque  
Consiliumque venit petitum.  
Fortuna felix , alma que Faustitas ,  
Captum secundet! Cultor & hanc frequens  
Deinceps saluet , moribusque  
Floreat heic docilis juventa  
Iustis probisque , ac ordine rectior  
Ponat vaganti fræna licentiae !  
Chrysoftomi, Augustini, opertum  
Theulogies adytum recludant!  
Iuris Sacerdotes graviter modum  
Fineisque ponant litibus & strophis ;  
Vitæque justæ quei beatum  
Sit doceant itiner terendum !  
Ævique prisci jugiter heic sonent  
Exempla! Virtus Romulidum ferax ,  
Feroxque ; nec pravum jubenti

Obse-

## ABRAHAMI BOGSTADI ODE.

*Obsequiosa prius, parentum  
 Quam aetate proles deterior fuit.  
 Virtutis ipsum sit vitium bono !*  
*Discenda virtus est sequendo,  
 Et vitium bene praecavendo.*  
*Natura, mentis vix oculis patens,  
 Producta sese praebeat omnibus  
 In luce clara conspicandam !*  
*Et Ratio radios per artem ,  
 Quæ vim latenter promovet insitam ,  
 Verique cultu pectora roborat ,  
 Diffundat ample ! Oratioque  
 Heic cupiat poluisse verba !*  
*Ornanda Linguis hæc Latia simul ,  
 Simulque Graja est, divite quæ dedit  
 Cornu Latinis, quicquid illi  
 Eloquio excolumere privo .*  
*AEterna sedes omnigenæ vetus  
 Trajectus hæc sit, perpetu gaudio ,  
 Ac eruditæ Humanitatis !*  
*Hoc faciet pia cura Patrum ,  
 Testata mundo. Quo faciat diu ,  
 Tu Iova, cœli rector, & arbiter  
 Telluris, audi, quæ precamur  
 Tempore letitia referto !*

F I N I S.